V. 14. 2

De coronarum apud antiquos vi atque usu

scripsit

Josef Köchling

Gießen 1914
Verlag von Alfred Töpelmann (vormals J. Ricker)

BL
25
R38
V, 14, 2

OC
R279
v. 14, 2

Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten

begründet von

Albrecht Dieterich und **Richard Wünsch**

herausgegeben von

Richard Wünsch und **Ludwig Deubner**

in Königsberg i. Pr.

XIV. Band. 2. Heft

Kapitel I ist auch gesondert als Münsterer Dissertation 1913 erschienen unter dem Titel: *De coronarum apud antiquos vi atque usu caput unum.*

Praefatio

Antiquos in variis ac diversis rebus creberrime coronis usos fuisse nemo est, qui nesciat. Ex coronarum auctoritate, quae hodie quoque apud omnes fere gentes valet, factum est, ut nostra aetas — non loquar de copia scriptorum veterum, qui de coronis scripserunt — multos viderit viros doctos, qui de earum apud Graecos Romanosque usu et significatione egerunt.

Quorum ex numero Carolus Paschalius[1] fere solus dignus esse videtur, qui nominetur. Materiem tam copiosam congessit, ut nos ei gratias agere debeamus, quamquam libros veterum auctorum saepius omnino non laudavit aut, quod vitium illis temporibus vix evitari potuit, locos indiligenter indicavit. Omnes fere, qui post Paschalii aetatem de coronis tractaverunt, quae tradunt, e Paschalio deprompserunt, 'quamquam nusquam hunc auctorem se secutos confitentur', ut iam cognovit Hesseling (De usu coronarum apud Graecos capita selecta, Diss. Lugd. Batav. 1886, 4). Nomina eorum, qui de coronis praeter Paschalium scripserunt, et ex veterum et ex recentiorum temporum historia Hesseling accurate in illum libellum contulit. Quibus nominibus addere possumus nonnulla.

De coronis floreis omnium fere gentium opusculum 116 paginarum scripsit Sp. Blondel *Recherches sur les couronnes de fleurs*[2], Paris 1876.

---

[1] 'Caroli Paschalii, Regis in sacro consistorio consiliarii et apud Rhaetos legati Coronae. Opus quod nunc primum in lucem editur distinctum X libris; quibus res omnis coronaria e priscorum eruta et collecta monumentis continetur'. Parisiis MDCX [quam editionem sequor]. Iterum editum est Lugd. Bat. MDCLXXI.

Epitome Paschalii fere vocari potest dissertatio Erlangensis, quam scripsit Alexander Karikoyla *Ὀλίγα τινὰ περὶ ἀρχῆς καὶ χρήσεως τοῦ στεφάνου παρὰ τοῖς παλαιοῖς Ἕλλησιν* 1880.

Quibus libellis praestat dissertatio illa, quam supra laudavi, Hesselingii, qui imprimis de coronarum in vita cotidiana apud Graecos usu inquisivit. De huius auctoris sententiis iudicandum erit infra. Libello iam finito quaestionem nanctus sum, quam nuper edidit Jakob Klein: *Der Kranz bei den Griechen. Eine religionsgeschichtliche Studie auf Grund der Denkmäler. Beigabe zum Jahresbericht des Gymnasiums zu Günzburg*, 1912. Valde gaudeo, quod ille vir doctus coronarum vim ex artis monumentis explicans omnibus fere in rebus a me non dissentire videtur.

De more viros de re publica bene meritos coronandi imprimis disputaverunt:

A. Dittmar, De Atheniensium more exteros coronis publice ornandi quaestiones epigraphicae *Leipz. Stud.* XIII 1890, 63—249.

G. Schmitthenner, De coronarum apud Athenienses honoribus (tractatio similiter epigraphica), Diss. Berol. 1891.

Denique ne obliviscamur librorum, qui sunt de omnibus et Graecarum et Romanarum litterarum generibus, ex quibus facile de variis coronandi consuetudinibus antiquorum discimus.

S. v. coronae copiose disputant de coronis tam Graecis quam Romanis Egger et Fournier apud Daremberg-Saglio *Dict.* I² 1520 sqq.

De coronis, quae erant praemia virtutis apud Romanos, apud Pauly-Wissowa *R. E.* IV² 1636 sqq. s. v. coronae egit Fiebiger.

De coronarum usu apud omnes fere gentes multa reperies apud Hastings *Encyclop. of Religion and Ethics*, vol. IV 336—345 s. v. *crown*, quo loco G. F. Hill p. 342—45 de veterum coronis tractavit.

Omnes hae quaestiones, quarum mentionem feci, potissimum sunt de variis coronarum generibus velut de coronandi more in conviviis vel in re militari aliisve in rebus aut publicis aut privatis, sive apud Graecos sive apud Romanos. Sed qua de causa antiqui coronis usi sint, nemo praeter Jacobum

Klein copiosius disseruit. Itaque, quae sit coronarum origo quaque ratione earum usus apud veteres floruerit, accuratius tractare mihi propositum est.

Coronarum originem a religionis artisque magicae primordiis repetendam esse elucebit. Vetustissima aetate corona auctoritatem rei sacrae habebat, cum et caerimonia coronandi ipsa inclinaret ad ritum religiosum et materiae, ex qua corona nectebatur, inesset vis magica. Quae vis, quamquam saepius annis labentibus obscurata est, omni fere in usu coronarum etiam tum viguisse videtur, cum primordiorum eius moris nequaquam essent memores.

Veterum morum origo atque ratio optime illustrantur aliarum gentium consuetudine. Propterea usus coronandi apud antiquos interdum cum aliarum gentium imprimis cultu inferiorum moribus comparatur. Quomodo res ipsa subtilius explanabitur, cum hic usus apud eas saepissime usque ad hunc diem rationem pristinam servavisse videatur.

Institutio commentationis huius est haec: Primum quidem caput est de coronae vi, quae coronarum a) ex vi vincienti b) ex materiae auctoritate repetitur. Altero disputabitur, quomodo sensum pristinum usus coronarum servaverit apud veteres. Tertio denique capite nonnulla de historia coronarum exponentur.

Caput I

De coronarum vi

a) De vi coronarum vincienti

Quae Romanis est corona, eam vocant Graeci[1] *στέφανον, στέφος, στεφάνην, στέμμα, στεφάνωμά.* Origo horum verborum omnium repetitur[2] a verbo *στέφειν,* quod significat 'circumdare', deinde 'cingendo firmare'.

Qua in notione priore verbo *στέφειν* iam usus est Homerus Od. XVIII 205: *ἀμφὶ δὲ οἱ κεφαλῇ νέφος ἔστεφε δῖα θεάων*; ibd. V 303; VIII 170; 175; v. Hesseling l. c. 11. Verbum *στεφανόω* apud Homerum semper significat 'circumdare'. Il. V 739: *δεινήν* [sc. *αἰγίδα*], *ἣν πέρι μὲν πάντῃ φόβος ἐστεφάνωται*; ibd. XI 36; XV 153; XVIII 485; Od. X 195; Hymn. Hom. in Vener. 120.

Denique verbum *ἐπιστέφειν* notionem partis superioris circumdandi, firmioris reddendi, deinde tegendi, operiendi habere Hesseling (l. c. 12 sq.) testimoniis ex poetis antiquissimis prolatis explicavit.

Eandem significationem *στεφάνου* quoque vocem habere consentaneum est. Apud Homerum vocem *στεφάνου* semel invenimus, Il. XIII 736: *Πάντῃ γάρ σε περὶ στέφανος πολέμοιο δέδηεν.* Saepe *στέφανος* idem est qui *κύκλος.* Murus, qui urbem cingit, vocatur *στέφανος,* Pind. Ol. VIII 32: *Ἴλίῳ μέλοντες ἐπὶ στέφανον τεῦξαι.* Hoc item spectant Il. XIX 98 sq.: *Ὅτ' ἔμελλε βίην Ἡρακλείην | Ἀλκμήνη τέξεσθαι ἐϋστεφάνῳ ἐνὶ Θήβῃ*; Hes. Theog. 978: *Γείνατο καὶ Πολύδωρον ἐϋστεφάνῳ ἐνὶ Θήβῃ.* Euripides (Heracl. 839) manum pulchrorum liberorum

[1] Cf. Thes. ling. gr. ed. Stephanus II 736 sqq. s. vv. *στέφανος, στεφάνωμα* simil.

[2] Cf. Prellwitz *Etym. Wörterb. d. gr. Spr.* 1905, 434.

vocat *καλλίπαιδα στέφανον*. Plura testimonia ad hanc notionem vocis *στεφάνου* spectantia reperies apud Hesselingium (l. c. 16).

Στεφάνης imprimis notionem propriam marginis galeae apud Homerum exhibet, Il. VII 11 sq.: *Ἕκτωρ δ' Ἱονῆα βάλ' ἔγχει ὀξυόεντι | αὐχέν' ὑπὸ στεφάνης εὐχάλκου, λῦσε δὲ γυῖα.* Deinde vocabulum *στεφάνης* latius patuit significans ex parte pro toto galeam[1] Homericam ipsam (Il. X 30; XI 96). Eodemque tempore *στεφάνη* erat aut ornamentum capitis aut fibula crinis mulierum, Il. XVIII 597: *καὶ ῥ' αἱ μὲν καλὰς στεφάνας ἔχον.* Qua ex notione *στεφάνη* diadema dearum factum esse videtur, quod demonstrat vocabulum *ἐϋστέφανος* nominibus dearum impositum. Dianae Il. XXI 511; Mycenae Od. II 120; Veneri Od. VIII 267; 288; XVIII 193; Hymn. in Ven. IV 6; 175; 287; Cereri Hymn. in Cer. V 224; 307; 384; 470. Denique, ut *στέφανος* est circuitus Lunae (v. Hymn. in Lun. 6), sic *στεφάνη* i. e. corona radiis distincta[2] gestamen Lunae erat.

Restat, ut admoneam capillos quoque personarum comicarum *στεφάνης* instar comptos fuisse. Testis est Pollux II 40: *Ἡ δὲ τελευταία τῶν τριχῶν περὶ τῇ κεφαλῇ περίοδος καὶ στεφάνη καὶ περίδρομος*[3].

Satis est de sensu priore vocum vel coronas ipsas significantium vel ad eas pertinentium apud Graecos dixisse; plura de harum vocum usu apud ceteros Graecorum scriptores apud Hesselingium (l. c. 13 sqq.) invenies.

Iam de Romanorum usu vocis coronae nonnulla proferam. Linguae Latinae[4] vox coronae e verbo Graeco *κορώνη* ducitur, quae item ac *στέφανος* omne curvatum aut anulum aut circulum significat. Scriptores antiqui ipsi de hoc verbo indagaverunt. Plutarch. symp. VIII 726 F: *τὸν δὲ στέφανον κορῶναν* [sc. *λέγεσθαι*] *ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, ὡς Ὅμηρος τὸ κράνος εἴκα σέ που*

[1] De hac galea Homerica v. Helbig *Das hom. Epos aus seinen Denkm. erläutert*[2] 1887, 219.

[2] De corona radiata scripsit Stephani *Nimbus und Strahlenkranz*, St. Petersburg 1859; de corona Lunae deae cf. Roscher *Selene und Verwandtes*, Lpzg. 1890, 26.

[3] De *στεφάνη* personarum comicarum cf. Hermann *Gr. Ant.* III[2] 285 et imprimis Robert *Arch. Zeit.* 1878, 23; id. 25. *Hallisches Winckelmannsprogramm* 1911, 3 fig. 4, 5, 6.

[4] Cf. Thes. l. l. IV 977 sqq. s. v. corona.

[Il. VII 12; X 30] *στεφάνη*. Athenaeus XV 680D: *Ἀπίων ἐν τῷ περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου φησὶ τὸν στέφανον πάλαι χορωνὸν καλούμενον ἀπὸ τοῦ τοὺς χορευτὰς ἐν τοῖς θεάτροις αὐτῷ χρῆσθαι.* Festus 37: 'Corona cum videatur a choro dici, caret tamen aspiratione, sive coronae dicuntur, quod honorent eos, quibus imponuntur'. Isidorus orig. 19, 30, 2: 'Nomen coronae hac ex causa vocatum [sc. est], quod initio circum aras curreretur atque ad imaginem circuitus vel chori est formata et nominata corona'.

Vocabulum autem *χορός*, a quo Festus et Isidorus vocem coronae ductam esse putant, apud antiquos idem valebat atque *κύκλος*, qua voce significabant saltationes ad imaginem circuitus formatas (cf. Hesych. s. v. *κύκλιοι χοροί*), et eadem quoque est notio atque *χορώνη, χορωνός* atque cornu, curvus, quocum compares vocabulum vernaculum *krumm*. Alii vocabulum *χορός* ex verbo *χόρτος*, quod nostra lingua *kreisförmiger Einschluß* vertitur, ducunt[1].

Videmus igitur vocem Latinam coronae similiter ac verbum *στεφάνου* apud Graecos quamlibet rem in speciem orbis aut cinguli conformatam significare[2]. Qua in notione verbo coronae imprimis in re militari usi sunt Romani. Sic apud Livium (IV 19, 8) Fabius Vibulanus corona vallum defendit i. e. manu militum, qui circum in vallo collocati erant. Ibd. IV 27, 7 pars militum vallum corona cingit, aut corona urbs cingitur (XXIV 2, 10), aut corona oppidum exercitus circumsedit (XXIII 44, 3; cf. ibd. XXXXIII 18, 7).

Deinde in arte agrimensorum coronam esse summum agrorum marginem, atque in arte architectorum[3] voce coronae cornicem, antepagmentum, cymatium vocari testimonia permulta exstant in Thes. l. l. IV 986.

Denique semicirculus quoque super pedem equi hirsutus corona vocatur, ut praeceptum ad sanandum morbum equi, cuius mentionem facit Heim[4], docet.

---

[1] Cf. Pape *Gr.-deutsch. Handwörterb.* II[3] 1367 s. v. *χορός*.

[2] De hac notione coronae iam recte iudicavit Paschalius l. c. 8sq.; cf. etiam Walde *Lat. etym. Wörterb.*[2] 1910, 194.

[3] V. etiam Blümner *Technologie*, Lpz. 1884, II 143; 148.

[4] *Fleck. Jahrb. Suppl.* XIX 1893, 472.

Monere id quoque liceat vocem vernaculam *Kranz* [1] eandem notionem alicuius rei circumclusae habere atque apud antiquos vocabulum coronae aut *στεφάνου*. Quae significatio apud scriptores nostros saepius occurrit, velut Gregorius [2], ut unum saltem proferam exemplum, Corcyram urbem '*mit einem Kranz von Vorstädten*' circumdatam esse narrat.

Sed vocabulum *στεφάνου* aut coronae vulgo sive sertum e floribus, foliis, ramis arborum nexum sive ornamentum e metallo factum significare, quod homines imprimis in capite gestant, omnes scimus.

Antiquissimis temporibus coronas tantum frondeas viguisse nemo negabit, nam coronae ex metallo factae has coronas frondeas imitantur. Itaque coronae naturales, ut ita dicam, ad interpretandam originem rationemque solae sunt idoneae.

Verum tamen, priusquam ad rem ipsam accedamus, nonnulla de voce *στέμματος* sunt dicenda. Ambigitur enim, utrum vocabulum *στέμματος* notionem frondibus coronandi contineat necne. Hesseling (l. c. 15) '*στέμματα*', inquit, 'fere numquam sunt coronae e fronde, sed aut infulas ex lana factas aut universe sacra cingula significant'. Wilamowitz (ad Eurip. Heracl. 677) explicat: '*στέμμα, die Wollbinde, darf mit dem στέφανος nicht verwechselt werden*'.

At vox *στέμματος*, quod vocabulum imprimis omne cingulum sacrum significat, non modo infulae sacrae, sed etiam coronae frondeae notionem habet.

Sic Hercules apud Euripidem (Heracl. v. 525 sq.) ab inferis reversus liberos suos, quibus Lycus mortem intulerat, funebri ritu coronatos cernens in haec verba erumpit: *τέκν' ὁρῶ πρὸ δωμάτων | στολμοῖσι νεκρῶν κρᾶτας ἐξεστεμμένα*. Quae verba ad ornamentum et coronarium et ex vittis factum spectare possunt, cum utraque res esset gestamen mortuorum. Testis etiam est Plutarchus symp. V 676 F: *Ἡ μὲν πίτυς ἦν*

[1] Kluge *Etym. Wörterb. d. deutsch. Spr.* 1910, 363. De nominis vernaculi *Kranz* notione propria haec habet: '*Vielleicht besteht Verwandtschaft mit skr. granth (einen Knoten) knüpfen, binden*'. Thoma Gatakero auctore, qui in oper. crit. Traiecti ad Rhenum 1668, 690 sqq. nonnulla de coronis diadematibusque verba fecit, vocabulum quoque Hebraicum pro coronae voce usitatum notionem ambiendi sive circumcingendi habet (l. c. 690).

[2] Cf. Weise *Musterstücke deutscher Prosa*, Lpzg. 1905, 78.

στέμμα τῶν ἀγώνων πάτριον. Aristophanes Plut. 39 habet: *Τί δῆτα Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων*; quo loco *στέμματα* coronas laureas significare ex scholiis cognoscimus: *Οἱ γὰρ τρίποδες δάφνῃ ἦσαν ἐστεμμένοι καὶ ἡ προφῆτις . . . στέφανοι ἐπὶ τοῦ τρίποδος ἔκειντο. οὓς ἡ Πυθία ἐν τῇ κεφαλῇ φέρουσα ἐμαντεύετο.*

Iam Homerus (Il. I 14) ornamentum sacerdotis vocat *στέμμα*. Quem ad locum Hock [1] recte animadvertit diiudicari non posse, utrum *στέμμα* sit ramus vel infula. *Στέμμα* enim omnia ad coronandum idonea significat. Denique *στέμμα* saepius ex ramis oleis lana obvolutis constat (v. Eurip. Andr. 894).

Porro *ταινία*, quod vocabulum multo magis quam *στέμμα* infulam sive vittam ex lana factam significat, pro corona redditur velut pro corona laurea apud Bekkerum, Anecd. Gr. 308, 2: *ταινία· στέφανος δάφνης, ἑρίῳ δεδεμένος* [2].

Atque hactenus de verborum ad coronas pertinentium notione: videamus nunc, quanta fuerit auctoritate coronarum forma. Ritu enim coronandi homo vel res vinculo instar orbis circumdatur.

Quo autem facilius talis coronarum vis cognoscatur, hoc affero, quod in tabula Thuriensi Orphica (apud Kaibelium 642) [3] animam exclamantem vidimus *ἱμερτοῦ ἐπέβαν στεφάνου ποσὶ καρπαλίμοισι.* Quae verba sic interpretantur viri docti, ut anima intret in circulum sacrum aut circulo sacra inclusa sit, ex quo postea excedit. Dieterich (l. c. 35) ad huius tabulae inscriptionem adnotat: '*στέφανος* est, qui cingit loca beatorum, vel prata illa ipsa desiderata'. Simili notione vocem *στεφάνου* usurpari in Orphicorum Argonauticorum versu 761 sq. ostendit: *Αὐτίκα οἱ στέφανος καὶ τεῖχος ἐρυμνόν | Αἰήτεω κατέφαινε καὶ ἄλσεα.* Item Harrison de hac inscriptione disputans [4] significationem vocis coronae definit: '*The word στέφανος means not only a crown for the head, but a ring or circle, a thing that encloses*'.

[1] Hock *Griech. Weihebräuche*, München 1905, 10, 4.

[2] Cf. Boetticher *Baumkultus d. Hellenen*, Berlin 1856, 314.

[3] V. Dieterich, De hymnis Orphicis capitula quinque, Diss. Marburg. 1891, 35 = *Kl. Schriften* 95.

[4] J. E. Harrison *Prolegomena to the study of Greek Religion*[2], Cambridge 1908, 592. Cf. etiam Rohde *Psyche* II[5] 219, 1; 421

Videmus igitur hoc loco vocem coronae significare aliquod saepimentum sacrum, quamquam dici non potest, qua ex materia, utrum ex sertis floribusve an aliis rebus, sacer ille circulus factus sit.

Saepimento aliquo magico loca sacra aut res sacras aut homines sacros saepissime homines superstitiosi et apud antiquos et apud alias gentes circumdabant[1]. Quo saepimento, quod plerumque ex filis[2] constabat, cum sanctitas et religio[3] locorum aut rerum indicabatur, tum illa loca ipsa aut illae res ipsae propter vim illius ritus circumcingendi firmabantur. Plenae exemplorum sunt historiae, pleni annales, quae ad hoc pertinent, sed brevitatis causa perpaucis exemplis contenti erimus.

Pausania auctore templum Neptuni Xippii Mantineae filo laneo saeptum erat, sive, addit Pausanias, pii illius temporis homines hoc filum terriculum satis firmum esse putabant, sive filo ipso quaedam vis inerat, Paus. VIII 10, 3: *Ἕρυμα μὲν πρὸς τῇς ἐσόδου προεβάλοντο οὐδέν, μίτον δὲ διατείνουσιν ἐρεοῦν, τάχα μέν που τοῖς τότε ἄγουσι τὰ θεῖα ἐν τιμῇ δεῖμια καὶ τοῦτο ἔσεσθαι νομίζοντες, τάχα δ' ἄν τι μετείη καὶ ἰσχύος τῷ μίτῳ.*

Simili modo in mysteriis Andaniensibus[4] locus, quo procul esse profanos oportebat, *στέμμασι* erat cinctus et tabernacula sacerdotum ipsa in loco taeniis saepto posita erant[5].

Athenis autem saepe videmus et templa et loca sacra circumcingi, quod vocabatur *περισχοινίζειν*[6], *περισχοίνισμα*, *wenn auch die ursprünglich symbolische Bedeutung des Brauches späterhin jedenfalls vielfach verkannt und dieser aus rein praktischen Motiven erklärt werden mochte*, ut recte dicit Hock l. c. 26.

---

[1] Cf. Grimm *R. A.*[4] 182 sqq.; 809 sqq.; Rochholz *Glaube und Brauch* I 204 sqq.; Liebrecht *Zur Volkskunde „der hegende Faden"*, Heilbronn 1879, 305 sqq. = *Philol.* XIX 582 sqq.; Usener *Hess. Blätter für Volksk.* I 3, 1902, 35, 2; Hock l. c. 28 sq.

[2] De usu filorum magicorum ad hunc ritum spectantium cf. Fahz, De poetarum Romanorum doctrina magica *RGVV* II 3, 1904, 20, 2.

[3] De vocis religionis vi cf. Kobbert, De verborum 'religio' atque 'religiosus' usu apud Romanos, Diss. Regimont. 1910, impr. v. 60.

[4] De mysteriis Andaniae habitis v. Sauppe *Abh. G. G.* VIII 1858/59.

[5] Cf. Nilsson *Gr. Feste*, Lpzg. 1906, 341.

[6] Cf. *Wiener Studien* 24, 122.

Qui ritus circumdandi loca sacra saepimentis imprimis illis diebus vigebat, quae sunt *ἡμέραι μιαραί*[1] vel *ἀποφράδες*. Pollux onom. VIII 141: *Περισχοινίσαι τὰ ἱερὰ ἔλεγον ἐν ταῖς ἀποφράσι τὸ ἀποφράξαι, οἷον Πλυντηρίοις καὶ ταῖς τοιαύταις ἡμέραις. Περισχοινίσαι δὲ τὸ δικαστήριον, ὁπότε περὶ μυστικῶν δικάζοιεν, ἵνα μὴ προσίῃ μηδεὶς ἀνεπόπτευτος ὤν.*

Ex verbis *ὁπότε περὶ μυστικῶν* facile intellegitur illam caerimoniam circumsaepiendi ex ratione aliqua superstitiosa ortam esse. Recte igitur de hoc ritu loquitur Hock (l. c. 26): *Man wollte offenbar durch dieses symbolische Seilspannen weniger die Menschen abhalten, als vielmehr den Geistern und Gespenstern den Zugang wehren, die an jenen Tagen* (atque item *ὁπότε περὶ μυστικῶν δικάζοιεν*) *ihr Unwesen trieben, vor deren Belästigungen man sich ja auch zu Hause zu schützen suchte durch Kauen von Weißdorn und Bestreichen der Türen*[2] *mit Pech*[3].

Huc etiam spectat Pollux onom. VIII 123: *τὸ δὲ δικαστήριον περιεσχοινίζετο, τοῦ βασιλέως παραγγείλαντος.*

Eadem denique de causa usus illius funis ortus esse videtur, quo contio Atheniensum circumclusa erat. Magni quoque interest commemorare in carminibus Danicis[4] viros fortissimos, *um sich fest zu machen* i. e. et galeae et vitae saepiendae tuendaeque causa, galeas filis[5] bombicinis rubris[6] circumligasse. Quo in ritu praeter vim filorum magicam permultum

---

[1] V. Hesych. lex. s. v. *μιαραὶ ἡμέραι*; Phot. s. v. *μιαρὰ ἡμέρα*; Mommsen *Feste d. Stadt Athen* 390; Rohde *Psyche* I[5] 237. Vide etiam Link, De vocis 'sanctus' usu pagano, Diss. Regim. 1910, 10 sqq.

[2] De superstitione ianuarum fusius egit M. B. Ogle *The House-Door in Greek and Roman Religion and Folk-Lore, Americ. Journ. of Phil.* XXXII 1911, 251 sqq. [3] Cf. adn. 1.

[4] Cf. Grimm *R. A.* I[4] 253; Liebrecht l. c. 307.

[5] V. Fahz l. c. 20, 2.

[6] De filorum rubrorum vi apotropaea cf. Jahn *Über den Aberglauben des bösen Blicks, S.-Ber. sächs. Ges. d. W.* VII Lpzg. 1855, 79 adn.; de vi coloris rubri v. Diels *Sibyll. Blätter*, Berlin 1890, 69, 2; Kroll *Antiker Aberglaube, Sammlg. gemeinverstdl. wiss. Vorträge von Kirchow-Holtzendorff* 1897, 3; Samter *Familienfeste der Griechen u. Römer* 1901, 53; Zachariae *Wiener Zeitschr. f. d. Kunde d. Morgenl.* XVII 1903, 225 sqq.; Fr. v. Duhn *Rot u. Tod, Arch. Rel.* IX 1906, 1 sqq.

valebat caerimonia circumligandi[1]. Illi enim viri fortissimi hoc ritu tamquam vinculo magico inclusi se ab omnibus periculis tutos futuros esse putabant, cum hoc vinculum orbis magicus existimaretur, quem intrare daemones non possint. Quam ad superstitionem coronae etiam illae spectant, quas in clipeis militum veterum invenimus ut Klein (l. c. 11, 1) compluribus artis testimoniis probavit.

Iam vero ad eiusmodi sacra cingula quamquam veteres imprimis fila adhibebant, tamen serta etiam floresque i. e. coronas usitabant. Sic sedes Teiresiae auguris Euripide (Bacch. 350) auctore *στέμμασι* ornata est, et de saepimento lacus Cotyliensis Victoriae deae dicit Dionys. Hal. antiqu. Rom. I 15: *Ταύτην* (sc. *λίμνην*) *ἔχουσάν τι θεοπρεπὲς ἱερὰν τῆς Νίκης οἱ ἐπιχώριοι νομίζουσι καὶ περιείρξαντες κύκλῳ στέμμασι τοῦ μηδένα τῷ νάματι πελάζειν ἄβατον φυλάττουσιν.*

Eadem opinione adducti templa coronis quoque ornare solebant veteres. Cuius rei exemplum illustrissimum affert Tacitus, qui de restituto Capitolio tradit, hist. IV 53: 'Undecimum kalendas Iulias serena luce spatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque, ingressi milites quis fausta nomina felicibus ramis dein virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis aqua e fontibus omnibusque hausta perluere'[2].

Sertis coronisque eodem modo atque infulis circumdabantur arae deorum. Quo in usu coronarum vittarumque vim vincientem multum valuisse apparet. Recte igitur Dedo[3] hinc manavisse putat Verg. ecl. VIII 64 'et molli cinge haec altaria vitta'. Quocum commode comparat Aen. IV 506 'intenditque locum sertis et fronde coronat funera'. Et apud Nemesianum ecl. IV 69 (Baehrens, P. L. m. III 169) 'et mille ignotas Mycale circumtulit herbas'. Denique proferre liceat Apul. florid. I 1: 'Neque enim iniustius religiosam moram viatori obiecerit aut ara floribus redimita aut spelunca frondibus aut quercus

---

[1] De vinculorum vi atque usu permulta nuper collegit Scheftelowitz *Das Schlingen- und Netzmotiv im Glauben der Völker*, *RG VV* XII 2, 1912.

[2] Cf. Bötticher *Tektonik d. Hellenen*, Potzdam 1849, II 105 sqq.; Hock l. c. 67; Pley, De lanae in antiquorum ritibus usu *RG VV* XI 2, 1911, 51.

[3] Dedo, De antiquorum superstitione amatoria, Diss. Gryph. 1904, 17.

cornibus onerata aut fagus pellibus coronata vel etiam colliculus sepimine consecratus vel truncus dolamine effigiatus vel lapis unguine delibutus' [1].

Quae coronae sertaque Hockio (l. l. 71) auctore quarto a. Chr. n. saeculo ex veritate in sculpturae ornamenta ararum aedificiorumque sacrorum transierunt [2].

Eadem de causa signa quoque deorum coronis redimiebantur, quo honore postea statuae virorum illustrium afficiebantur. Quod, cum ita fuisse apud omnes constet [3], singulis probari exemplis non oportet.

Signa deorum etiam termini [4] putabantur, Ov. fast. II 641 sqq.:

'Termine, sive lapis sive es defossus in agro | stipes, ab antiquis tu quoque numen habes. | Te duo diversa domini de parte coronant, | binaque serta tibi binaque liba ferunt'.

Tibull. I 1, 11 sqq.:

'Nam vereor, seu stipes habet desertus in agris | seu vetus in trivio florida serta lapis'. Caerimonias in consecratione terminorum adhibitas optime Siculus Flaccus descripsit. Grom. vet. ex recensione Lachmanni (Berol. 1848) I 141: 'Cum (antiqui) terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram rectos conlocabant, proxime ea loca in quibus fossis factis defixuri eos erant, et unguento velaminibusque et coronis eos coronabant.' V. Samter l. l. 138.

Domus denique, in quibus dies festus atque religiosus habebatur aut in quibus homo sanctus habitabat, coronis erant ornatae.

Domum tantum nuptialem exempli causa commemoro, quam coronis redimitam fuisse Hesseling (l. c. 37) aliique compluribus testimoniis probaverunt.

Sic theatrum quoque corona ornatum vides apud Baum. *Denkm.* fig. 1831.

[1] Cf. etiam tabulas, quas Bötticher *Baumkultus d. Hellenen*, Berlin 1856, libro suo adiunxit; Reisch in *P. W.* I [2] 1640 sqq. s. v. '*Altar*' imprimis p. 1687; Hock l. c. 91; Pley l. c. 51.

[2] Hermann *Gottesdienstl. Altert.*[2] § 17, 10; Bötticher *Tekt.* II 105; Baumeister *Denkm.* I 56 Fig. 59, 60.

[3] V. Bötticher, l. l. passim et cf. tab.; Hesseling l. c. 58; Hock l. c. 49 sq., apud quem (l. c. 33) etiam nomina eorum invenies, qui de lapidum cultu scripserunt.

[4] Cf. Samter *Arch. Rel.* XVI 1913, 137 sqq.

Omnibus in his exemplis, quorum perpaucis tantum verbis mentionem fecimus, permultum ritum circumligandi valuisse, ut res illa sacra tamquam muniretur tutamento magico, quis est, qui neget?

Attamen similiter atque his locis magicus quidem orbis re vera est ductus, saepes magica oritur, si quis illum hominem aut illam rem tuendi causa circumgreditur. Qui ritus circumgrediendi et in nuptialibus[1] et in funebribus[2] caerimoniis veterum vigebat. In publicis et in privatis ambarvalibus fratres arvales[3] aut Cereri operantes non solum ipsi agros circumire solebant, sed etiam hostia, priusquam mactaretur, fines lustrandos circumducebatur[4]. Fines igitur tamquam orbe magico intercludebantur, quominus mala intrare possent i. e. quominus in potestatem daemonum inciderent.

Qua de causa hic ritus vim quoque depellendi bestiolas atque herbas inutiles ex hortis habet, ut Weidlich exemplis nonnullis probavit[5].

[1] De hoc ritu Romanorum testimonia collegit Roßbach *Untersuchungen über die römische Ehe*, Stuttgart 1853, 314; multa eiusdem ritus exempla apud alias gentes collecta affert Samter *Familienf.* 3, 20, 91 sq. Quanta auctoritate haec caerimonia etiam in ritu nuptiali ecclesiae Christianae fuerit, Ioachimius Iohannis Maderus in libello 'De Coronis nuptiarum' conscripto (Helmaestadi 1668) 53, 57, 59, 65 compluribus exemplis docuit, quorum caerimoniam apud Moscovitas usitatam proferre liceat: *Der Pope nimbt deß Breutigams rechte | und der Braut linke Hand in seine beyde Hände | fragt sie dreymahl | ob sie ein ander haben und sich woll mit einander begehen wollen? Wenn sie das Ja Wort gegeben | führt er sie also in einem Creis herümb | und singet den 128 Psalm | welchen sie als tantzend ihm stückweis nachsingen. Nach dem Tantz | setzet er ihnen schöne Krantze auffs Haupt.* [2] Cf. Roßbach l. c. 315 adn. 1049.

[3] Cf. Wissowa in *R. E.* II² 1463 sqq. s. v. Arvales fratres; Wissowa *Rel. u. Kult. d. Römer* 485 sqq.; Marquardt-Mommsen *Staatsverw.* III² 447 sq.; Carter apud Hastings *Encycl.* II 7 sqq. s. v. *arval brother*.

[4] Hodie quoque illa ambarvalia in processionibus, ut ita dicam, ecclesiae catholicae in usu sunt, de quibus inspicias Schück-Grimmich *Handb. der Pastoraltheologie*, Innsbruck 1899, 624 sqq.; Franz *Die kirchlichen Benediktionen im Mittelalter*, Freiburg Br. 1909, II 1 sqq. Ritus circumgrediendi iam in vetere testamento viguisse videtur, nam oppidum, quod vocant Jericho, circumeundo capiunt: Josua 20, 15 sqq.

[5] Weidlich *Die Sympathie in d. alten Literatur*, Prgr. Stuttgart 1894, 21; cf. Schenkl *Röm. Mitt.* XXI 1906, 211 sqq.; *Arch. Rel.* XIV 1911, 593.

Vim impedientem vinculorum[1] aut saepium magicarum imprimis adhibebant homines superstitiosi ad favorem amicorum sibi conciliandum aut ad actiones inimicorum prohibendas.

Propterea magni erat momenti caerimonia circumligandi in superstitione amatoria[2], velut apud Theocritum (II 2) Simaetha iuvenem a se alienatum ritibus magicis sibi reconciliatura ministrae mandat: *στέψον τὰν κελέβαν φοινικεῷ οἰὸς ἀώτῳ. ὡς τὸν ἐμοὶ βαρὺν εἶντα φίλον καταδήσομαι ἄνδρα* (cf. Fritzsche ad h. l.).

Qua in actione magica etiam plantis utebantur homines superstitiosi, velut ex Indorum illo libro, qui vocatur Atharva-Veda, vertit in nostram linguam Grill[3] haec:

Ich wind Geschling von Zuckerrohr
Um Dich, daß es den Haß vertreib,
Daß Du ganz in mich seist verliebt,
Daß Du mir nicht abspenstig wirst.

Quibus in versibus dicendis actio magica exerceri videbatur, qua effigies quaedam illa herba circumligabatur. Ad hanc magiam sympathicam[4] caerimonia quoque spectat, quam homines, quos *Ewe-Neger* vocamus, ad hostes interficiendos adhibent: Truncum foliis palmarum circumligatum, cum nomen hostis dicant, feriunt[5]. Quem ad ritum rectissime adnotavit Wundt (l. c. 283): *Der umwickelte Gegenstand ist selbst beseelt; die in ihm wohnende Seele ist eine Doppelgängerin der Seele des zu Behexenden. Mit dem Band will der Zaubernde der Seele des Feindes einen Zwang auferlegen.* Huc spectat veterum actio magica, qua inimicum coitus impotentem reddere studebant.

---

[1] De vinculorum sacrorum vi scripsit Heckenbach *RGVV* IX 3, 1911, 78 sqq.; Scheftelowitz *RGVV* XII 2, 1912, 12 sqq. et passim.

[2] De superstione amatoria v. Dedo l. c. passim; Fahz l. c. 16 sqq.

[3] Grill *Hundert Lieder d. Atharva-Veda*[2], Stuttgart 1888, 52, 20; Ploß-Bartels *D. Weib*[4], Lpzg. 1895, I 436.

[4] De magia sympathica cf. Ries *P. W.* I 1, 36 sqq. s. v. *Aberglaube*; Frazer *The golden bough*[3] 1911, I pars I 51 sqq.

[5] V. Wundt *Völkerpsychologie* IV 1[2], 1910, 278; de aliis huius gentis exercitationibus magicis cf. Spieß *Arch. Rel.* XV 1912, 162 sqq.

Marc. Emp. 33, 69: 'Si quem voles per noctem cum femina coire non posse, pistillum coronatum sub lecto illius pone' (cf. Heckenbach 100, 1).

Deinde ex coronarum vi vincienti factum est, ut homines religiosi hoc vinculo induto in tutela eius numinis sese esse putarent, cui plauta illa, ex qua corona nexa sit, sacrata esset. Itaque Teucer apud Horatium (carm. I 7, 23) sibi coronam populeam, quae Herculis erat sacra, imposuit, quod Kießling (ed. V., curavit Heinze 1908, 64) recte sic interpretatur: *Da der Kranz uraltes Symbol der Gebundenheit in den Dienst einer Gottheit ist, so setzt sich Teucer als Führer der Auswandernden den Kranz des Herakles ἡγεμών*[1] *auf.*

Quocum veterum usu optime compares, quod nostra aetate Cyprii se suosque liberos gravi morbo affectos alicui sancto hac caerimonia devovere solent[2]: *Zum Zeichen des dienstlichen Verhältnisses zu demselben legt man sich gewöhnlich eine aus seiner Kirche genommene Kette um den Hals.*

Ad eandem opinionem quadrat, quod tradit de meretricibus Babylonicis Herodotus I 199: *Ἐν τεμένει Ἀφροδίτης κατέαται στέφανον περὶ τῇσι κεφαλῇσι ἔχουσαι θώμιγγος πολλαὶ γυναῖκες.* Quem ad locum recte adnotat Bachofen[3]: *Es kann keinem Zweifel unterliegen, daß jene Bekränzung die Verpflichtung des Weibes zur Lösung ihres Gelübdes sinnbildlich ausdrücken und also der Wortbedeutung von 'obligatio' entspricht*[4].

Quanta auctoritate laquei aut coronae vis vinciens fuerit, vel inde apparet, quod hoc ornamentum captivi ipsi gestabant. Primo quidem proferre liceat, quod habet de laquei usu Grimm *R. A.*[4] 255: *Ein Seil um den Hals trugen sowohl solche, die sich*

---

[1] Cf. Xenoph. Anab. IV 8, 25.

[2] V. B. Schmidt *Das Volksleben der Neugriechen*, Lpzg. 1871, I 74.

[3] Bachofen *Gräbersymbolik der Alten*, Basel 1859, 328. Interpretatio vero, quam dedit idem vir doctissimus de ratione adhibendi *θώμιγγος* 'aus der Beziehung des aus Sumpfpflanzen geflochtenen Seils zu der hetärischen Geschlechtsmischung' inepta est, cum plantas palustres tantum ad hanc coronam vel laqueum adhibuisse videntur illae mulieres, quod hae plantae ad vinculum nectendum sunt maxime idoneae.

[4] Herodoti verba esse vera epistula Jerem. Baruch 6, 42 docet, cf. Abicht ad Herod. I 199; Stein ibd. De vinculorum usu in lustratione Indorum cf. Oldenberg *Religion des Veda*, Berlin 1894, 322.

auf Tod und Leben ergaben, als auch an gewissen Orten die Freibauern zum Zeichen geringerer Knechtschaft oder Hörigkeit. Velut signum prioris captivitatis Prometheus et coronam salignam in capite et anulum ferreum in digito gestabat, cum corona et anulus eandem vim vincientem haberent [1].

Coronam interdum captivorum signum fuisse vel ex eo apparere videtur, quod tradit Aelianus v. h. XII 12: *Μοιχὸς ἐν Γορτύνῃ ἁλοὺς ἐπὶ τὰς ἀρχὰς ἤγετο, εἶτα ἐλεγχθεὶς ἐστεφανοῦτο ἐρίῳ. ἐνόει δὲ τοῦτο τὸ στεφάνωμα αὐτῷ ὅτι ἀνανδρός ἐστι καὶ γύννις καὶ ἐς γυναῖκας μάχλος. καὶ ἐπιπράσκετο δημοσίᾳ καὶ ἀτιμότατος ἦν καὶ οὐδενός οἱ μετῆν τῶν κοινῶν.*

Quocum compares Diod. XII 12: *Τοὺς δ' ἐπὶ συκοφαντίᾳ καταγνωσθέντας προσέταξε περιπατεῖν ἐστεφανωμένους μυρίκῃ, ὅπως ἐν πᾶσι τοῖς πολίταις φαίνωνται τὸ πρωτεῖον τῆς πονηρίας περιπεποιημένοι* [2].

De Romanorum more servos sub corona vendendi infra disputabitur.

Deinde vim coronarum vincientem vel ex eo cognoscere possumus, quod in supplicationibus coronas gestabant veteres. Quas coronas ex ramis oleagineis vel laureis nexas filisque laneis obvolutas *ἱκετηρίας* [3] vocabant Graeci. Tali modo ornati Thebani ab Oedipode rege auxilium implorant (Soph. Oed. R. 3), et Orestes similiter oraculum Apollinis adit. Aesch. Eum. 43: *Ἔχονθ' ἑλαίας ὑψιγένητον κλάδον λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον.* In Aesch. Coeph. 1030 sq. Orestes loquitur: *Καὶ νῦν ὁρᾶτέ μ', ὡς παρεσκευασμένος ξὺν τῷδε θαλλῷ καὶ στέφει προσίξομαι μεσόμφαλον.* Quibus *στέμμασι* eum, a quo auxilium petebant veteres, tamquam vinculo alligatum cogebant, ut sibi subveniret. Eurip. Suppl. 32 sqq.:

Δεσμὸν δ' ἄδεσμον τόνδ' ἔχουσα φυλλάδος μένω πρὸς ἀγναῖς ἐσχάραις δυοῖν Θεαῖν Κόρης τε καὶ Δήμητρος, οἰκτίρουσα μὲν

[1] De Prometheo v. Preller-Robert *Gr. M.*[4] 102, de corona et anulo eius cf. Athen. XV 674 d; Hygin. astr. II 15; Plin. n. h. XXXVII 2; Welcker *Aeschyl. Tril.* 49 sqq.; Gerhard *Etrusk. Spiegel* 139. Corona oleaginea Prometheus ornatus est apud Apollod. bibl. 2, 5, 11, 10; cf. Köbert *Der zahme Oelbaum*, Progr. München 1894, 24. De anulorum vi cf. Heckenbach l. c. 85 sqq.; 92 sqq.

[2] V. Karikoyla l. c. 40.

[3] Non interesse inter *ἱκετηρίαν* atque *εἰρεσιώνην* omnes fere consentiunt, v. Pley l. c. 53.

πολιὰς ἄπαιδας τάσδε μητέρας τέκνων,| σέβουσα δ' ἱερὰ στέμματ(α). Ibd. 102 sq.: Ἱκεσίοις δὲ σὺν κλάδοις | φρουροῦσί μ', ὡς δέδορκας, ἐν κύκλῳ, τέκνον. Atque illa στέφη auferebant, ubi primum ab illo deo vel viro implorato adiuti sunt.

Sic Oedipus, postquam se Thebanos supplicantes adiuturum esse pollicitus est, iubet (Soph. Oed. R. 142 sq.): Ἀλλ' ὡς τάχιστα, παῖδες, ὑμεῖς μὲν βάθρων | ἵστασθε, τούσδ' ἄραντες ἱκτῆρας κλάδους. Quem ad locum igitur recte adnotat Bruhn (ed. Schneidewin-Nauck[11] 1910, 69): *Die στέμματα sollen wohl den um Hilfe Angeflehten 'binden'; darum werden sie und mit ihnen die Zweige fortgenommen, wenn er sich bereit erklärt hat zu helfen.* Item mulieres Argivorum iussae sunt, simulatque Theseus se eis matri supplicantibus auxilium laturum esse dixit. Eurip. Suppl. 359: Ἀλλ', ὦ γεραιαί, σέμν' ἀφαιρεῖτε στέφη | μητρός. Quam ad consuetudinem spectat, quod Polybius ex memoria Hannibalis Alpes transgredientis proditum memorat III 52, 3: Οἱ γὰρ περὶ τὴν δίοδον οἰκοῦντες συμφρονήσαντες ἐπὶ δόλῳ συνήντων αὐτῷ θαλλοὺς[1] ἔχοντες καὶ στεφάνους. τοῦτο γὰρ σχεδὸν πᾶσι τοῖς βαρβάροις ἐστὶ σύνθημα φιλίας, καθάπερ τὸ κηρύκειον τοῖς Ἕλλησιν.

Quocum compares Liv. XXIX 16, 6: 'Decem legati Locrensium, obsiti squalore et sordibus, in comitio sedentibus consulibus velamenta supplicum ramos oleae, ut Graecis mos est, porgentes, ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt'. V. ibd. XXIV 30, 14; XXV 25, 6; XXX 36, 4; Pley l. c. 62 sq.

Consentaneum est hunc ritum imprimis viguisse, cum alicui numini supplicationem facerent.

Velut in inscriptione Stratonicensi (CIG 2715) primi quidem saeculi a. Chr. n. decretum invenimus, quo praescriptum est triginta liberis coronatis στεφάνῳ quidem θαλλοῦ hymnum canendum esse in honorem Iovis et Hecatae.

Atque ex Romanorum historia[2] affero Liv. XXVII 57: 'Virginum ordinem sequebantur decemviri coronati laurea praetextatique'; ibd. LX 37: 'Decemviri supplicationem . . .

---

[1] θαλλός sc. κλάδος saepius ad ἱκετηρίαν adhibetur, v. Bruhn ad Soph. Oed. R. 143. [2] Multa exempla collegit Diels *Sibyll. Bl.* 51, 4.

edixerunt. Maiores duodecim annis omnes coronati et lauream in manu tenentes supplicaverunt'; ibd. XLIII 13, 8: 'Uti supplicatio fieret cunctique magistratus circa omnia pulvinaria victumis maioribus sacrificarent populusque coronatus esset'.

Vis coronae impediens ex vestitu flaminis[1] Dialis elucet. Corona quamquam et apud Graecos et apud Romanos signum sacerdotis erat, tamen eam flamen Dialis non gestabat. Et recte quidem, nam ei nullum in se habere vel videre nodum licebat (v. Gell. X 15, 6 sqq.). Itaque a flaminis corpore hederam[2] abesse oportebat, cum haec planta apud veteres signum vinculorum haberetur. Festus ep. 82, 18 explicat: 'Ederam flamini Diali neque tangere neque nominare fas erat pro eo, quod edera vincit ad quodcunque se applicat. Sed ne anulum quidem gerere ei licebat solidum aut aliquem in se habere nodum'.

Qua de vi coronae hederaceae haec habet Artemidorus I 78 (ed. Hercher): *Ἀμπέλου δὲ καὶ κισσοῦ* (sc. *στέφανος*) *μόνοις τοῖς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίταις συμφέρει, τοῖς δὲ ἄλλοις δεσμὰ σημαίνει διὰ τοὺς ἕλικας καὶ τὰς προσπλοκὰς τοῦ κισσοῦ.* Eadem igitur ratione, qua in se nodum non habebat et anulum non gestabat, nec coronam portare flamini licere facile intellegitur. Propterea virgulam tantum oleagineam flamen Dialis habebat; Fest. ep. 10, 12: 'Albogalerus a galea nominatus. Est enim pileum capitis quo Diales flamines, i. e. sacerdotes Iovis, utebantur. Fiebat enim ex hostia alba Iovi caesa, cui affigebatur apex virgula oleaginea'[3].

Item flaminica Dialis non coronam habebat, sed 'virgam incurvatam, quae fit quasi corona' (Serv. ad Verg. Aen. IV 137)[4].

Deinde coronarum vim impedientem vel ex antiquorum ritibus funebribus colligere possumus.

Quamquam enim apud Graecos Romanosque mortuos coronatos fuisse scimus, maerentes quidem ipsi coronis non erant

[1] De flaminibus v. Samter apud *PW* VI[2] 2484 sqq. s. v. 'flamines', imprimis 2488; id. *Familienfeste* 39; Heckenbach l. c. 75 sqq.

[2] De vi atque usu hederae cf. Olck *PW* V[2] 2826 sqq. s. v. '*Efeu*'; J. Murr *Die Pflanzenwelt in d. gr. Mythologie*, Innsbruck 1890, 141 sq.; Wächter *RGVV* IX 1, 1910, 108 adn. 1.

[3] Cf. Samter *Familienfeste* 34 sqq.

[4] V. Samter *Familienf.* 39; Heckenbach l. c. 76.

ornati[1]. Quem morem propter coronarum vim vincientem observasse veteres inde apparet, quod mulieres in laudationibus funebribus quasi amentia atque furore captae crines solutas habere et pectora denudare solebant[2].

Quibus de caerimoniis funebribus dicit Athenaeus XV 674 sq.: *Ὁμοιοπαθείᾳ γὰρ τοῦ κεκμηκότος κολοβοῦμεν ἡμᾶς αὐτοὺς τῇ τε κουρᾷ τῶν τριχῶν καὶ τῇ τῶν στεφάνων ἀφαιρέσει.* Et Aelianus quidem narrat (var. hist. 3, 3) Xenophontem, cum ei nuntius de morte Grylli filii afferretur, coronam, quam fortuito sacrificans gesserit, deposuisse[3].

Idem fecit Minos, cum Androgeum filium interfectum esse comperisset. Plutarch. mor. p. 2246: *Ὁ Μίνως καὶ τὸν αὐλὸν ἀφεῖλε τῆς θυσίας καὶ τὸν στέφανον ὑπὸ λύπης* (cf. Apollod. III 10, 7)[4].

Nudare pectus et solvere capillos et deponere coronam eadem deliberatione adducti solebant, ut vincula omnia removerent et daemones depellerent[5].

Simili ratione commotus apud Athenienses archon *βασιλεύς*, si quis de caede accusatus erat, corona demissa iudicio praeerat. Aristot. de republ. Athen. 57: *Εἰσάγει δ' ὁ βασιλεύς, καὶ δικάζουσι σκοταῖοι καὶ ὑπαίθριοι· καὶ ὁ βασιλεύς, ὅταν δικάζῃ περιαιρεῖται τὸν στέφανον.*

Ad coronarum vim vincientem fortasse consuetudinem Graecorum Romanorumque spectare putamus, quam sequentes iuvenes postes domus virginis, quam vehementer amabant, coronis ornare solebant. Athen. XV 669 d: *Διὰ τί οἱ ἐρῶντες στεφανοῦσι τὰς τῶν ἐρωμένων θύρας κτλ.* De hoc more loquitur Wilamowitz[6] velut dedicationis ritu: *Dem Göttlichen dient auch der Liebende, der seinem Mädchen einen Kranz darbringt.*

Quae coronae ab amatoribus puellis oblatae, quamquam vulgo delicias tantum amoris significabant, tamen vi quadam

[1] Cf. Bötticher l. l. 320; Wilamowitz ad Eurip. Heracl. 677.

[2] Cf. Heckenbach l. c. 74; Hildebrandt *Philol.* LXX (*N. F.* XXIV) 69 sq.

[3] V. Christ *Gr. Literaturgesch.* I[5] 469, 2; Stengel *Gr. Kultusaltert.*[2] 97.

[4] V. Gruppe *Gr. Myth.* I[2] 233; Stengel l. c. 97.

[5] De nudandi pectora atque solvendi capillos vi in rebus funebribus cf. Kroll *Antiker Aberglaube* 21; Heckenbach l. c. 4; 32 sq.; 74 sq.; Samter *Geburt, Hochzeit und Tod*, Lpzg. 1911, cap. IX 109 sqq.

[6] Ad Eurip. Heracl. v. 677.

vincienti carere non videbantur. Coronae enim testimonia amoris putabantur [1]. Aristoph. Thesm. 400 sq.: *Ἐάνπερ τις πλέκῃ γυνὴ στέφανον ἐρᾶν δοκεῖ.* Athen. XV 670 a: *Εἰ μὴ ἄρα ἡ φύσις οἱονεί τι δαιμόνιον δικαίως βραβεύουσα τῶν πραγμάτων ἕκαστον οἴεται δεῖν τοὺς ἐρῶντας μὴ στεφανοῦσθαι πρὶν κρατήσωσιν, τοῦ ἔρωτος.* Vinculis profecto se impediunt, qui amant ibd. 670 c: *Καταδέδενται γὰρ οἱ ἐρῶντες.*

Verisimile est veteres putasse puellam iuveni carissimam, si coronam sibi oblatam acciperet, non modo hoc vinculo, sed etiam amore ad datorem alligari. Corona igitur amatoria, ut ita dicam, eandem auctoritatem habebat atque anulus [2], quem sponsus Romanus sponsae dare solebat pignori.

Sed has coronas amatorias saepissime donatuncula tantum amoris facta nullius momenti religiosi vel superstiosi esse multa docent exempla.

Sic Propertius de se Cynthiam serena nocte visente 'ebria cum multo traheret vestigia Baccho' loquitur I 3, 21 sq.:

> 'Et modo solvebam nostra de fronte corollas
> Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus'.

Ovidius am. I 6, 67 sqq. haec habet:

> 'At tu, non laetis detracta corona capillis
> Dura super tota limina nocte iace.
> Tu dominae, cum te proiectam mane videbit
> Temporis absumti tam male testis eris'.

Cf. Ov. metam. XIV 707 sqq.; Plaut. Curc. 85 sqq.; Pers. sat. V 165 sqq.; Lucret. IV 977 sqq.

Quas coronas dedicationis signa, ut Wilamowitz censet, posteris temporibus habitas esse vel inde apparet, quod saepe amatores antiqui etiam sacrificabant, Athen. XV 670 d: *Καὶ θύουσιν ἔνιοι ἐπὶ ταῖς τῶν ἐρωμένων θύραις.*

---

[1] V. Karikoyla l. c. 38 sqq.

[2] De veterum anulis sponsalibus cf. Kauer ad Terent. Ad. 347; Frederhausen *Herm.* XXXXVII 1912, 211; Ov. am. II 15, 28; Damasc. vit. Isid. 59. 311; Roscher *Lex.* I 2261; Bücheler *Glotta* I 4; imprimis v. N. G. Politis *Γαμήλια σύμβολα, Ἐπιστημονικὴ ἐπετηρίς*, Athen 1906, 120 sqq.

Recte quidem ad hanc veterum amantium consuetudinem spectare morem usque in hunc diem multis locis patriae nostrae vigentem putat Schmeizel[1], quo amicarum domus ipsis Kal. Maiis frondibus integris ornantur. Quem morem '*das Maienstecken*' vocatum Mannhardt[2] sic definit: *Das Maienstecken für die jungen Mädchen geschieht entweder als Zeichen der Achtung von sämtlichen Burschen der gesamten Gemeinde zusammen, oder als Ausdruck inniger Liebe, als symbolischer Heiratsantrag von Seiten des Liebhabers allein, und in diesem Falle schneidet der letztere wohl auch seinen Namen in die Rinde des Baumes ein.*

Denique nonnulla sunt dicenda de coronarum vi vincienti in apparatu magico.

Omne enim vinculum propter auctoritatem circumligandi initio tutamentum magicum i. e. amuletum putabant homines superstitiosi[3], quamquam plerumque vinculum pro amuleto usitatum esse non nego, quod materiae illius vinculi aut alicui rei ad illud vinculum alligatae vis quaedam magica inesse existimabatur. Sic in illa tragoedia Euripidis, quae Ion inscribitur, Creusa filium Ionem, quem parvulum exposuit, corona oleaginea ornavit, ex qua multis annis post natum agnoscit, vv. 1433 sqq.: *Στέφανον ἐλαίας ἀμφέθηκα σοι τότε, | ἣν πρῶτ' Ἀθάνα σκόπελον εἰσηνέγκατο, | ὅς, εἴπερ ἔστιν, οὔποτ' ἐκλείπει χλόην, | θάλλει δ', ἐλαίας ἐξ ἀκήρατον γεγώς.* Quem ad locum rectissime adnotavit Rohde (*Ps.* II[5] 72, 1): *Wenn die Mutter dem ausgesetzten Kinde einen Kranz aus Olivenzweigen mitgibt, so ist dies ein apotropäisches Mittel, sogut wie das Gorgonenhaupt auf dem Gewebe, das sie* (v. 1421) *dem Kinde mitgibt.*

Coronae igitur in actionibus magicis usurpabantur, sive quod hoc vinculum circumligatum tutamentum esse contra

[1] Martin Schmeizel, De coronis tam antiquis, quam modernis (sic!) iisque regiis, Ienae 1713, 31. Schmeizel in hac commentatione plurima post Paschalium attulit ad rem coronariam.

[2] W. Mannhardt *Wald- und Feldkulte*, Berlin 1877, I 163.

[3] De filis nodisque amuletorum instar usitatis v. Wolters *Arch. Rel.* VIII 1905, Beiheft 1 sqq.; cf. etiam cap. alterum opusculi Heckenbachii; Scheftelowitz l. c. 38 sqq.: *Da die Dämonen durch Schlinge und Netz gefangen werden können, so weichen sie schon vor dem Anblick dieser Fangapparate.*

daemones malignos, sive quod hoc vinculo daemonem ipsum vincire i. e. in potestatem redigere se posse credebant.

Propterea scriptum videmus in Pap. Paris. (ed. Wessely): v. 913: . . . *χρὴ δὲ στεφανῶσαι αὐτόν τε καὶ σὲ* . . . v. 934: *καὶ ἐστεμμένος τὴν κεφαλὴν σοῦ κλωσὶ ἐλαίας* . .; in pap. Berol. II (ed. Parthey) v. 27: *εὐχόμενος δὲ στέφανον ἔχε δάφνιον*; ibd. 29; cf. etiam Wessely *Neue Gr. Zauberpap.* in *Abhdl. Ak. Wien* 1893, 50 v. 910 sq.

Enimvero daemonem sub coronae vinculo vinctum esse inde cognoscitur, quod in eo dimittendo, quae caerimonia *ἀπόλυσις* vocabatur, coronam deponere debebant actionem magicam exercitantes. Cuius rei testimonium illustrissimum Hockio (l. c. 67) quidem auctore apud Eusebium praep. evang. V 9, 8 habes: 'Apollo imperans, ut se vinculis magicis, quibus in terra retineatur, liberarent, coronam et ramum laureum demi iubet: *Λύσατέ μοι στεφάνους, καί μευ πόδας ὕδατι λευκῷ | ῥάνατε, καὶ γραμμὰς ἀπαλείψατε, καί κε μόλοιμι. | χειρὸς δεξιτερῆς δάφνης κλάδον ἄρατε χερσὶ κτλ.*'; cf. etiam Ogle *Americ. Journ.* XXXI 1910, 306.

Atque etiam corona qui cingatur circulo quasi includi ex variis generibus dicendi velut *στέφανον περιτίθεσθαι*, corona cingere, circumdare, *στέφανον λύειν*, coronam solvere similibus intellegi potest.

Haec hactenus de coronarum vi vincienti, de qua docemur ex coronae forma. Iam erit quaestio, quanti momenti fuerit coronarum materia.

b) De coronarum vi materiae

Corona, ut supra (7) diximus, gestamen est capitis ex sertis factum. Sed aëneis quoque coronis et aureis et plumbeis usi sunt veteres, quarum permulta exempla servata sunt. Quibus coronis, quae sunt et deterioris et melioris artis documenta, optime progressum omnis vitae atque cultus illius aetatis cognoscimus[1]. Itaque hae magni momenti sunt in

[1] Cf. Baumeister *Denkm.* II fig. 858; Egger et Fournier *Dict.* I[2] 1520 sq. s. v. 'corona'.

explicanda historia coronarum. Ex scriptorum veterum locis innumerabilibus una cum his luculentis testimoniis aëneis usus coronarum apud antiquos probatur, cum coronae frondeae ipsae propter materiam caducam putrescerent. Attamen coronam aëneam in hac tractatione primum locum obtinere non posse facile intellegitur, quippe quae sit ipsa imitatio coronae frondeae. Ex materia igitur frondea repetere opus est, quae ratio coronam in diversissimis rebus utilem reddiderit, ut hodie quoque cotidie videmus.

Primo quidem, eodem modo ac ritus vittae circumligandae ex caerimonia rituali velamenti sacri induendi repetitur [1], corona ex sertis facta ex amictu frondeo ducenda esse videtur. Quod verum esse optime ex pompis solemnibus illorum dierum festorum intellegere possumus, qui vere aut messium feriis celebrabantur.

Quibus in pompis personam daemonis fertilitatis aut puer, aut puella, aut arboris truncus fronde involutus agebat, quam caerimoniam vernacula lingua '*Laubeinkleidung*' sive '*Laubumhüllung*' vocamus [2]. Hunc autem daemonem non modo repraesentabat puella fronde tota involuta, sed etiam caput tantum corona redimita [3]. Sic Theseus coronam gestabat, cuius auctoritatem die festo rustico Cretensium Neustadt [4] recte cum ritu illo nostratium die St. Georgii [5] adhibito comparat.

Coronam ex velamento frondeo repetendam esse et artissime cum eo cohaerere ex nonnullis antiquorum feriis apparet.

Die festo Iunonis, qui celebrabatur in insula Samo, *ξόανον* [6] ramis *λύγου* involutum erat, homines autem coronam in capite habebant et in agnis castis considebant (Athen. XV 671) [7].

---

[1] V. Diels *Sibyll. Bl.* 70; 121 sq.; Samter *Familienfeste* 37.

[2] Cf. Mannhardt *W. F. K.* I 315 sqq.; Frazer *The golden bough*[3], London 1911, part. I vol. II 59 sqq.; Weinhold *Abh. Berl. Ak.* 1896, 21; Mogk *N. Jahrb.* 1911, 503.

[3] Mannhardt *W. F. K.* I 318; Frazer l. c. passim.

[4] Neustadt, De Iove Cretico, Diss. Berol. 1906, 32 sqq.

[5] De die St. Georgii v. Mannhardt *W. F. K.* I 314 sqq.; Frazer l. c. I 2, 75 sqq.

[6] De xoanis v. Evans *Journ. of Hell. stud.* XXI 1901, 127.

[7] Cf. Nilsson *Gr. Feste*, Lpzg. 1906, 46 sqq.; Fehrle *Kult. Keuschheit*, *RGVV* VI 1910, 142 sqq.

Similiter τοῖς θεσμοφορίοις[1] et stratis frondeis et coronis utebantur veteres. Digna etiam, quae memoretur, est illa Iunonis Hagnae sive Ariadnae imago coronis ornata, quam circumsaltabant virgines Creticae[2].

Denique mortui quoque coronam pro velamento frondeo substitutam esse ex illis stramentis frondeis, in quibus corpus ponebatur, colligi potest[3].

Omnibus in his ritibus coronamentis frondeis utebantur veteres, quod in plantis vim quandam superstitiosam inesse putabant. Atque, cum apud antiquos nullam fere plantam ad coronandi usum non adhibitam fuisse constet, morem quoque coronandi ex auctoritate quadam religiosa, quae omnibus plantis inest, ducemus.

Posteris quidem temporibus plantas alias alias in exercitationibus magicis superasse non nego, cum auctoritatem magicam partim ex specie plantarum, quae celeriter crescunt sive nascuntur locis umidis, partim ex natura plantae ipsa velut ex suco aut ex odore repeterent veteres. Quae item in coronarum usu cognoscuntur.

Ac primum quidem constat ad coronam nectendam frondem tantum viridem adhibuisse veteres. Itaque arbores et herbae semper virentes velut laurus, oliva, myrtus, cupressus, aliae ad coronamentum maxime sunt idoneae. Eodem modo ramis arborum usi sunt veteres, quae mature virescebant velut agni casti salicesve, aut quibus propter ingens stirpis robur magna inest vivacitas, ut quercui.

Vim enim vitalem, quae inest omnibus plantis, homo cultu inferior e numine quodam effici putabat. Planta non modo

---

[1] Cf. Bötticher l. c. 334 sq.; Nilsson *Gr. F.* 318; Fehrle l. c. 139 sq.; 147 sqq. [2] Neustadt l. c. 31.

[3] De mortuorum stratis v. Bötticher l. c. 336 sq.; Rohde *Ps.* I[6] 226, 3; II 72, 1. Apud Aegyptios consuetudinem obvolvendi mortuum frondibus sepulcris Thebis effossis comprobamus, de quibus Schweinfurth dicit: *Die Blumengewinde, welche die Brust der Mumie in konzentrischen Reihen bedecken oder Kränze, die um das Haupt geflochten werden, sind von eigentümlicher Zusammensetzung und Gestalt, wie solche außerhalb Ägyptens nirgends nachgewiesen werden konnten.* G. Schweinfurth *Pflanzenreste aus altägypt. Gräbern, Ber. d. deutsch.-botan. Ges.*, Berlin II 7, 1884, 353 sq.; cf. etiam Woenig *Die Pflanzen im alten Ägypten*, Lpzg. 1886, 248.

erat sedes numinis, sed numen ipsum habebatur. In cultu arborum [1], quae et apud antiquos et apud omnes fere gentes *als Zeichen der in der Natur sich offenbarenden lebenerzeugenden Gotteskraft* [2] colebantur, viriditas, illud manifestum ubertatis signum, condicio erat sine qua non [3].

Ab arborum cultu [4] moris coronandi originem trahemus. Primo homines puerorum similes omnia, quae circum se habebant, animata esse putabant. Religio huius aetatis priscae propterea a viris doctis '*Animismus*' vocatur [5]. Animam omnibus animalibus itemque arboribus inesse credebant homines religiosi. Qua autem vi res tota est praedita, eam omnes partes quoque possident, quae idcirco '*Seelenträger*' [6] vocantur. Itaque omnis ramus aut folium, dum viret, signum est vivacitatis aut, ut diximus, numinis ipsius.

Vi rami virentis vitali homo superstitiosus in ritibus diversissimis uti solebat.

Quanta auctoritate talis ramus, quem vernacula lingua *Lebens-* aut *Wünschelrute* vocamus, fuerit, optime ex illius rami fabula elucet, quo Aeneas ad inferos penetravit (Verg. Aen. VI 136 sqq.).

Norden in commentario ad hunc librum conscripto (ed. Lpzg. 1903) 162 sqq. ostendit illum ramum aureum eandem vim habere ac viscum; quam plantam maxima esse auctoritate, cum et hieme crescat et sit planta semper viridis. Qua de causa viscum esse *σύμβολον τοῦ βίου καὶ τοῦ θανάτου* [7]. *Aber Tod und Leben sind für mythisches Denken nicht immer Gegensätze, sondern können eine Einheit bilden. Denn die Natur stirbt nur, um wieder aufzuleben. Dionysos ist, mit Heraclit zu*

---

[1] De cultu arborum permulti viri doctissimi egerunt, quibus praestant Bötticher *Der Baumkultus der Hellenen*, Berl. 1856; Mannhardt *Wald- u. Feldkulte*; Frazer *The golden bough* I [3] vol. II; cf. etiam Hesseling l. c. 6, 1.

[2] De la Saussaye *Lehrbuch d. Religionsgesch.*, Freiburg i. B. 1887, I 65.

[3] Lundgreen *Zeitschr. f. alttest. Wiss.* XIV 1908, Beiheft 24; R. Smith *Die Religion d. Semiten* (deutsch von Stübe) 1899, 60 sqq.

[4] De diversis gradibus cultus arborum v. Mogk *N. Jahrb.* 1911, 496 sqq.

[5] C. v. Orelli *Allgemeine Religionsgesch.* I [2] Bonn 1911, 27, 6. Huius priscae religionis vestigium praebet sermo vernaculus, qui est de arbore graviter violata '*der Baum verblutet*'.

[6] Wundt *Völkerps.* IV 1 [2], 88 sq.

[7] V. Phot. lex. I 406; Naber et Bekker, Anecd. gr. 279; Norden 169.

reden, 'derselbe wie Hades' und doch zugleich Frühlingsgott (Norden 163).

Plantam igitur tali vi praeditam tenens Aeneas propulsavit iram Charontis (Aen. VI 405 sqq.), i. e. ramis illis visceis daemonem mortis superavit (Norden 164). Deinde Aeneas ramum ad postes domus Proserpinae alligat (vv. 630 sqq.). Deae ipsi ramum dono dat, in quo insunt vires vitae et mortis, quomodo ei reditum ad superos indicet.

Omnis igitur ratio usus visci ex vi huius plantae vitali ducitur. Atque etiam aliud exemplum afferam, quo auctoritas rami viridis comprobatur. Deubner[1] argute ostendit strenam Romanorum, quae temporibus imperatorum donum anno incipiente donatum imprimis pecuniae munus significabat, primo ramum sacrum laureum fuisse. Quem ritum donandi in vi rami vitali positum fuisse rectissime Deubner docuit.

Ubicumque ramus viridis erat, ibi eventum, vim, salutem, omnia omina esse existimabant veteres, cum ramo viridi illo signo ubertatis praeclaro omnes res nocivae propulsarentur. Hinc origo muneris ritualis trahitur: *Die ältesten Geschenke sollten für den gesamten Abschnitt dasjenige dem Beschenkten sichern, was sie selbst vorstellten*, Deubner l. c. 39 coll. Ovid. fast. I 187 sq.:

> 'Omen' ait 'causa est; ut res sapor ille sequatur,
> Et peragat coeptum dulcis ut annus iter'.

Quam vim salutiferam omnes cognoscimus ex trifolii usu, imprimis cui sunt folia quattuor, quod nunc etiam munus salutiferum et amuletum validissimum putamus. Deinde etiam coronam spiceam laudaverim, cuius vis pariter ac fasciculi spicei vitalis in agros transfertur; eadem corona ad domum vel ad horreum alligata vim apotropaeam habet[2].

Omnibus his ritibus vim salutiferam rami ad hominem vel rem transferri vidimus, eodemque modo ramum viridem remedium mali factum esse, cum malum limen transgredi non possit, quo loco salus habeat sedem ac domicilium.

---

[1] *Glotta* III 1910, 34 sqq. [2] Cf. Mogk l. c. 496 sq.

Eadem ratione phalli, sanguinis, excrementorum, cordis, iecoris aliorum membrorum animalium usum in ritibus sacris superstitiosisque ortum esse satis constat [1].

Usus ramorum sive plantarum ad eandem superstitionem spectat, qua adducti homines cultu inferiores eas res sibi saluberrimas fieri putabant.

Plantae sunt fontes, ex quibus vires vitales semper germinantes emanant. Quamobrem omnibus in ritibus, in quibus viribus opus erat, eis utebantur homines superstitiosi.

Liceat proferre fabulam de gente Tschirokiorum sumptam [2], quae est de plantarum natura. Animalibus et plantis creatorem imperasse, ne septem dies noctesque dormirent, *gerade so wie heute die jungen Leute fasten und wachen* [3], *wenn sie zu ihrer Medizin beten*, ut addit Preuss. Quod tamen felem modo et pantheram et nonnullas arbores sustinuisse. Quibus propterea bestiis virtutem videndi per obscurum, vagandi, animalia dormientia venandi datam esse; illas autem arbores fronde semper virenti et quibusdam viribus magicis praeditas esse.

---

[1] Multa sunt exempla huc spectantia. Ex veterum memoria Mannhardt Apollodoro aliisque auctoribus profert Peleum venantem ferarum occisarum linguam exsecuisse et in peram venatoriam condidisse (*W. F. K.* I 49 sq.). Ritter (diss. Halens. XIV 1901, 389) porro mentionem facit Hygini fabulae 193: 'Harpalycus, rex Amymenorum [sic Ritter], Thrax cum haberet filiam Harpalycen, amissa matre eius, vaccarum equarumque eam uberibus nutrivit et crescentem armis exercuit, habiturus successorem regni sui. Postmodum nec spes paternas puella decepit; nam in tantum bellatrix evasit, ut etiam saluti fuerit parenti; nam reversus a Troia Neoptolemus cum expugnaret Harpalycum gravique eum vulnere affecisset, illa periturum patrem impetu facto conservavit fugavitque hostem'. Huc etiam spectat religio *τῶν ἀνδροφάγων* v. Lehmann *Die Religion der primitiven Völker, Kultur d. Gegenwart* I 3, 1906, 12; Wundt *Völkerps.* IV 1², 88 sq. Indi in sacrificio ad aram exstruendam habito quinque victimas — hominem, equum, bovem, haedum, ovem — immolant, victimarum autem corpora in aquam iaciunt, ex qua argillam ad aram aedificandam repetunt (Oldenberg *Rel. d. Veda* 363). Quod faciunt, ut vis illarum victimarum ad argillam transferatur. Eadem de causa quinque earum capita arae inseruntur. De renium et pinguis vi cf. Smith-Stübe l. c. 295 sq.; Dieterich *Mithrasliturgie*, Lpzg. 1903, 100; Wundt l. c. 93 sqq.; Mogk l. c. 499 sq.

[2] V. Preuß *Globus* LXXXVII 1905, 416.

[3] Qua re augetur vis magica, ut Preuß adnotat.

Ex plantarum vivacitate coronandi quoque ritum trahimus. Caerimonia ornandi caput, vel quamlibet partem corporis humani aut partem cuiusvis rei, ramis virentibus sive frondibus illam rami vim salutiferam ad hominem aut ad eam rem transferri putabant homines superstitiosi. Auctoritas huius opinionis augebatur, quod vi coronae vincienti illa ramorum salus ad hominem ligabatur i. e. quod homo salute circumdabatur.

Ac primum quidem igitur in coronarum usu viget vis vitalis ipsa. Corona in capite gestata virginem indicat integram, ut carmen vernaculum[1] docet:

Und wenn die Lind ihr Laub verliert,
behält sie nur die Äste,
daran gedenkt ihr Mägdlein jung und
haltet eur' Kränzlein feste!

Contra stramentum seminibus privatum significat vel sua sponte vel necessitate coactam viduam, impotentem aut vilem mulierem. Corona ex stramento sterili nexa in capite virginis aliquando apud nos signum erat aut procum repulsam ferre aut illam de solitudine maerere[2].

A plantarum vi vitali veteres quoque coronarum originem trahebant, quam vivacitatem tamquam numen colebant.

Itaque perbene Hesseling (l. c. 9) naturam atque auctoritatem coronarum sic definit: 'Coronae antiquioris religionis reliquiae mihi esse videntur, quae quondam daemonum sedes, postea attributa deorum facta sunt'.

Deinde vivacitas ramorum effecit, ut coronas remedium contra daemones malignos esse i. e. vim apotropaeam habere putarent veteres. Quam vim apotropaeam artissime cum coronis velut vitae et ubertatis signis cohaerere supra explicavimus (26).

Huc denique spectat, quod coronas ad lustrationum ritus adhibebant veteres, nam, ut Rohdii[3] quidem verbis utar, *Ab-*

[1] Uhland *Volksl.* nr. 17 = Uhland *Schriften* III 90, 427; Mannhardt *W. F. K.* I 184, 1.

[2] Uhland *Schriften* III 417; Mannhardt *W. F. K.* I 185 sq.

[3] Rohde *Ps.* II[5] 70 sq.; cf. Reinach *Cultes, mythes et religions* I[2]

wehrung gefährlicher Wirkungen aus dem Reiche der Geister ist ihrem Ursprung und Wesen nach auch die Kathartik.

Fusius de lustrationibus Hartung[1] loquitur: *Der Glaube, daß äußere Verunreinigung innere Betörung und Verblendung nach sich ziehe, indem sie den lauernden bösen Dämonen Eingang verschaffe, ist in allen ethnischen Religionen vorhanden, nur in verschiedenem Grade. Denn auf diesem Glauben beruhen die Waschungen, die Räucherungen, die Luftschwingungen, die Abreibungen mit Erde, die Büßungen und Sühnungen, die Besprengungen mit Weihwasser, die Wahl gewisser Speisen und Kleider und die Vermeidung anderer, welche unrein genannt werden, die Furcht einen Toten oder eine Wöchnerin anzurühren, der Gebrauch gewisser heiliger Zweige und der Wollbinden, welche die Befleckung fernhalten sollen.* Vide etiam, quae nuperrime de 'lustro' disputavit Deubner *Arch. Rel.* XVI 1913, 127 sqq. Itaque Dielsii sententiam probari necesse est, qui coronae inesse vim apotropaeam cognovit: *Überhaupt hat der Kranz schon an und für sich kathartische Bedeutung* (*Sibyll. Bl.* 120).

Arborum cultu continetur etiam animarum maniumque veneratio. Manibus enim, cum eos ubertatem dare putarent, sacrificabant veteres et id eo quidem consilio, ut uberius acciperent, quae dedissent. Arcae mortuorum frumento, ovis, coronis similibus abundabant. Quocum comparem morem Germanorum, quod fasces spiceos in agris relinquere solent, ut agri anno insequenti feraces fiant[2]. Qui fasces pro muneribus inferis oblati sunt, quae mortuis se debere putabant. Huc spectare videntur illae coronae, quae in mortuorum sepulcris ponebantur, ut manes expiarent.

Denique evanescente genuina significatione plantarum arbor erat 'attributum' cuiusdam dei, velut, ut omnes scimus, quercus Iovi, laurus Apollini, myrtus Veneri aliae aliis dedicatae erant. Vires etiam dei in arbore occultas esse existi-

---

1908, 111: *De là* [i. e. ex consuetudine sibi daemones conciliandi aut eos depellendi] *les purifications, les prières, les cérémonies de tout genre, qui répondent toutes à une même idée: écarter un péril résultant de la violation d'un tabou;* v. etiam J. E. Harrison *Proleg. to the study of Greek Rel.* 10.

[1] Hartung *Rel. u. Myth. d. Griechen*, Lpzg. 1865, I 70; cf. Pfannenschmidt *D. Weihwasser* 205. [2] V. Mogk l. c. 501.

mabant veteres. Quod quam verum sit, optime ex lauro Apollinis sacra cognoscimus, de qua *Μῶμος* apud Lucianum deor. conc. 12 (ed. Dindorf vol. III 261) ludificatur: *Ὦ Ἄπολλον, εὐδοκιμεῖς ἀλλ' ἤδη πᾶς λίθος καὶ πᾶς βωμὸς χρησμῳδεῖ, ὃς ἂν ἐλαίῳ περιχυθῇ καὶ στεφάνους ἔχῃ καὶ γόητος ἀνδρὸς εὐπορήσῃ, οἷοι πολλοί εἰσιν.*

Atque, si quis ramum vel coronam arboris cuiusvis dei sacrae gestabat, in tutela eius esse putabant veteres, ut supra (15) exemplo ex Horatio petito comprobavimus. Cui coronarum auctoritati sententia quadrare videtur, quam profert Wilamowitz[1]: *Die Bekränzung ist für den Hellenen eigentlich immer ein Zeichen der Weihung.*

Iam vero cum omnia sacrata pura esse deberent, sequebatur, ut corona esset testimonium[2] quicumque gestaret esse purum. Quae auctoritas cum vi rami viridis saepius est coniuncta. Mannhardt recte quidem demonstravit sermone, ut ita dicam, ecclesiastico aetatis quam vocamus mediae apud Lucam 23, 31 '*grünes Holz*' significare homines pios ac bonos, dum lignum aridum valebat homines improbos '*verstockte, zum dürren Stock gewordene Menschen*'[3].

Atqui quamquam haec est ratio coronandi, ut ita dicam, principalis, accedit, quod nonnullae plantae propter naturam propriam aut ex virtute ramorum aut suco aut odore ad usum magicum adhibebantur.

Hederam ad vinculum nectendum maxime idoneam esse supra (18) vidimus. Eadem virtute planta, quam Graeci *λύγος*[4] aut *ἄγνος*, Romani agnum castum vocant, est praedita. Itaque

---

[1] Wilamowitz ad Eur. Heracl. v. 677, quem sequuntur Rohde *Ps.* I[5] 220; Hock l. c. 9. [2] Stengel *Opferbr. d. Gr.* 1910, 17.

[3] Cf. Mannhardt *W. F. K.* I 184, 1, qui etiam id monet, quod habet Eychmanii vocab. pred. s. v. viridis, *ein grunender, der da ôn sunde ist, grun*, quocum compares Weigand *Deutsch. Wörterbuch*[5] 775 s. v. *Gründonnerstag*.

[4] Vocabulum *λύγος* initio apud Graecos omnem ramum flexibilem significabat, ut verbum *λυγίζειν* sermone vernaculo *biegen, winden* interpretantur viri docti. De natura atque usu huius plantae disseruerunt: Wagner *PW* I 1, 832 sqq. s. v. 'agnus castus'; cf. etiam Thes. l. l. I 366 sqq. s. v. 'agnus castus'; Murr *Pflanzenwelt* 100 sqq.; Fehrle l. c. 141 sqq.; Aigremont *Volkserotik u. Pflanzenwelt*, Halle 1908, I 104 sq.

adnotat ad Il. XI 105 Eustathius p. 834: *Φυτὸν* [i. e. *λύγος*] *ἱμαντῶδες καὶ ἁπαλὸν — οἱ ἁπαλοὶ ἀκρέμονες καὶ μᾶλλον αἱ παραφυάδες καὶ εἰς πλέγμα συστρέφονται καὶ εἰς δεσμούς, κατά τινας σχοίνους τε καὶ ἱμάντας.* Athen. XV 671 sq.: *Πρὸς δεσμοὺς γὰρ πλέγματα ἡ λύγος ἐπιτήδειος.*

Huc spectare videtur, quod paulum differt, utrum laurum an olivam adhibuerint veteres.

Oliva [1] suavitate est praedita, laurus autem odorem acutum habet. De olivae natura Diels recte dicit: *Die milde friedliebende Olive versinnbildlicht die 'pax deorum'. Wie der linde Saft des Baumes ein Hauptbestandteil der chthonischen μειλίγματα bildet, so ist der Ölzweig in der Hand, der Ölkranz im Haar das Symbol der gesuchten und erlangten Versöhnung mit der Gottheit der Tiefe* (*Sibyll. Bl.* 120).

Lauri naturam Hehn [2] sic definit: *Der Lorbeer ward wegen des scharfen aromatischen Geruchs und Geschmacks seiner immergrünen Blätter und Beeren frühe ein Götterbaum.*

Quamquam et coronis laureis et coronis oleagineis in eisdem fere ritibus utebantur veteres, tamen inter earum usum disiunxit Artemidorus On. IV 57: *Ἐπὶ τῶν νοσούντων ἡ μὲν ἐλαία θανατήφορος οὖσα τετήρηται αὐτή τε καὶ ὁ καρπὸς αὐτῆς καὶ τὰ φύλλα, δάφνη δὲ σωτήριος. καὶ γὰρ εἰκός· τοῖς γὰρ ἀποθανοῦσιν ἐλαίας μὲν συνεκφέρουσιν, δάφνας δὲ οὐδαμῶς.* Apud Isyllum Epidaur. B 10 (ed. Wilamowitz 9): *Εἴμασιν ἐν λευκοῖσι, δάφνας στεφάνοις ποτ' Ἀπόλλω, | ποὶ δ' Ἀσκλαπιὸν ἔρνεσι ἐλαίας ἡμεροφύλλου | ἀγνῶς πομπεύειν* [3].

Apud Romanos triumphantes corona laurea ornatos fuisse omnes scimus. Qui autem in proelio non fuerint, coronis tantum oleagineis coronati erant. Paul. 114: 'Oleagineis coronis ministri triumphantium utebantur'. Gell. V 6, 4: 'Oleaginea

[1] De oliva scripserunt: H. O. Lenz *Botanik d. Griechen und Römer*, Gotha 1859, 500 sqq.; Bötticher *B. K.* 423 sqq.; Murr l. c. 40 sqq.; Ritter *S.-Ber. Ak. Berl.* 1844, 171 sqq.; Victor Hehn *Kulturpflanzen und Haustiere*[8], Berlin 1911, 103 sqq.; Weniger *Der hlge. Ölbaum in Olympia*, Prg. Weimar 1895; H. Köbbert *Der zahme Ölbaum*, Prg. München 1894.

[2] Hehn l. c. 225 sqq.; cf. etiam Bötticher *B. K.* 338 sqq.; Murr l. c. 92 sqq.; Aigremont l. c. I 106; Lenz l. c. 450 sqq.; Mannhardt *W. F. K.* I 296 sqq.; Kroll, Analecta Graeca, Gryphiae 1901, 13; M. B. Ogle *Americ. Journ. of Philol.* XXXI 1910, 287 sqq.

[3] Cf. Diels *Sibyll. Bl.* 120.

corona, qua uti solent, qui in proelio non fuerunt, sed triumphum procurant'. Similiter in ovatione, quam deportabat, qui hostem sine proelio superaverat, victor corona myrtea [1] erat redimitus [2].

Quomodo haec duo genera triumphi inter se diversa sint, optime nos docet Plutarchus Marcell. 22: *Πέμπει δὲ αὐτὸν οὐκ ἐπὶ τεθρίππου βεβηκὼς οὐδὲ δάφνης ἔχων στέφανον οὐδὲ περισαλπιζόμενος, ἀλλὰ πεζὸς ἐν βλαύταις ὑπ' αὐλητῶν μάλα πολλῶν καὶ μυρρίνης στέφανον ἐπικείμενος, ὡς ἀπόλεμος καὶ ἡδὺς ὀφθῆναι μᾶλλον ἢ καταπληκτικὸς . . . κτλ. Οἱ μὲν γὰρ μετὰ μάχης καὶ φόνου τῶν πολεμίων ἐπικρατήσαντες τὸν Ἀρήϊον ἐκεῖνον, ὡς ἔοικε, καὶ φοβερὸν εἰσῆγον, ὥσπερ ἐν τοῖς καθαρμοῖς τῶν στρατοπέδων εἰώθεσαν, δάφνῃ πολλῇ καταστέψαντες τὰ ὅπλα καὶ τοὺς ἄνδρας, τοῖς δὲ πολέμου μὲν μὴ δεηθεῖσι στρατηγοῖς, ὁμιλίᾳ δὲ καὶ πειθοῖ καὶ διὰ λόγου πάντα θεμένοις καλῶς οἷον ἐπιπαιανίσαι τὴν ἀπόλεμον ταύτην καὶ πανηγυρικὴν ἀπεδίδου πομπὴν ὁ νόμος. Καὶ γὰρ ὁ αὐλὸς εἰρήνης μέρος καὶ τὸ μύρτον Ἀφροδίτης φυτόν, ἡ μάλιστα θεῶν ἀπέχθεται βίᾳ καὶ πολέμοις.*

Rationibus variis, quibus veteres adducti sunt, ut coronis uterentur, explicatis iam quaeramus, quomodo hanc coronarum religionem observaverint in usu.

---

[1] De arbore myrtea v. Bötticher *B. K.* 445 sqq.; Lenz l. c. 678 sqq.; Murr l. c. 84 sqq.; Fehrle l. c. 239 sqq.; Hehn l. c. 223 sqq.

[2] Cf. Preller-Jordan *Röm. Myth.* I³ 216.

Caput II

De coronarum usu

Coronis et in rebus sacris et in superstitiosis veteres uti solebant. Quarum usus, quamquam sint diversissimi, omnes aliquo modo ex illis rationibus, quas ritui coronandi inesse proposuimus, orti sunt.

Ac primum quidem erit quaestio de coronis, quas ad res sacras[1] adhibebant veteres.

a) De coronarum usu in rebus sacris

Aras deorum, ipsa fana, templa, delubra, simulacra coronis ornata ac redimita fuisse supra nonnullis exemplis ostendimus[2]. Eo autem loco vim tantum coronarum vincientem pressimus, quod hoc ritu illae res sacrae cingulo quasi magico circumdabantur. Sed multum ad hanc consuetudinem vis quoque herbarum, ex quibus illa serta nexa erant, valebat. Sertis eadem ratione usi esse veteres videntur, qua res sacrae pingue aut oleo oblinebantur[3], i. e. ut virium vitalium, quae his materiis insint, participes fierent. Ararum deorum coronatio et imprimis arbores iuxta aras germinantes nos docent lapidum et arborum cultum religionis primordiis inter se coniunctum fuisse[4]. Arboris vel rami vivacitas indicabat illum locum

[1] De vi atque notione vocis 'sacer' egit Fowler *Journ. of Roman Studies* I 1911, 57 sqq.

[2] Artis monumenta huc spectantia invenies apud Klein l. c. 14 sqq.

[3] Wundt *Völkerps.* IV 1², 88; Smith-Stübe l. c. 295 sq. v. supra 27.

[4] V. H. von Fritze, Strena Helbigiana 81 sq.; Evans *J. H. S.* XXI 1901, 105 sq.

numen occupasse. Ex ingenti numero de aris fronde viridi ornatis testimoniorum profero[1]: Ov. trist. III 13, 15: 'Fumida cingatur florentibus ara coronis'; ibd. V 5, 9 sq.: 'Araque gramineo viridis de caespite fiat | et velet tepidos nexa corona focos'. Horat. od. I 19, 13 sq.: 'Hic vivum mihi caespitem, hic | verbenas, pueri, ponite'. Id. od. IV 11, 6 sq.: 'Ara castis | vincta verbenis'. Quas verbenas vocat Kiessling (ad Horat. od. I 13) *die liturgische Bezeichnung für das durch den Ritus im einzelnen Falle zur Bekränzung des Altars, des Götterbildes, des Opferers geforderte Laubwerk.* Cf. Ovid. met. VII 242: 'Has (aras) ubi verbenis | silvaque incinxit agresti'. Apud Terentium (Andr. 720 sqq.) Davos servus Mysem ancillam Glycerii puerum ante ianuam Simonis ponere iussit. Sequuntur haec verba, vv. 726 sqq.[2]:

Mysis 'Obsecro,
Humine?
Davos Ex ara hinc sume verbenas tibi
Atque eas supsterne'.

Cum universe coronae plerumque memorentur in ararum coronatione, neque plantae nominatae sint, harum quoque verbenarum auctoritatem, quae in exercitationibus magicis permultum valebant[3], ex ramorum vi vitali ducemus. Quod probat quidem Servius (ad Verg. Aen. XII 120): 'Verbena proprie est herba sacra ros marinus, ut multi volunt, id est λιβανωτίς † sicutagonis, sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur fetiales et pater patratus foedera facturi vel bella indicaturi. Abusive tamen iam verbenas vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva vel myrtus ... quidam sane veris proximi herbas verbenas dicunt. Alii certa ligamenta verbenas volunt vocari'.

Deinde ararum coronatio spectare ad lustrationem, cum et ritu cingendi et vivacitate ramorum daemonum incursiones averterentur, docere videtur Propertius IV 10, 19: 'Inde

---

[1] Cf. 11 sq.; Schmeizel, De coronis 60 sq.

[2] Cf. etiam Spengel (ed. II 1888) ad h. l.

[3] De vi verbenarum magica cf. Abt *Die Apologie des Apuleius, RGVV* IV 2, 1908, 72; 90, 7.

coronatas ubi ture piaveris aras', quod idem significat atque ubi coronis et ture piaveris aras.

Templa ac sacella eadem de causa coronabantur[1]. Quem ad ritum dicit Plutarchus (de Stoicorum repugn. p. 1034 C): *Προσκυνοῦσι δὲ τὰ ἕδη καὶ στεφανοῦσι τοὺς ναούς.* Pythia in Aeschyl. Eumenid. 39 loquitur: *Ἐγὼ μὲν ἕρπω πρὸς πολυστεφῆ μυχόν.* Schol. Arist. nub. 308: *Αὗται γάρ εἰσιν αἱ εὐστέφανοι θυσίαι κοσμεῖν μὲν καὶ στεφανοῦν τοὺς ναούς.*

Rationem quidem huius ritus optime explicat Euripides, qui Ionem, Apollinis ministrum, loquentem facit (Ion 103 sq.): *Πτόρθοισι δάφνης| στέφεσίν θ' ἱεροῖς ἐσόδους Φοίβου| καθαρὰς θήσομεν.*

Ex Romanorum memoria profero Prop. IV 3, 57: 'Flore sacella tego, verbenis compita velo'. Cf. Tibull. I 1, 15 sq.; Val. Flacc. Argon. II 188 sq.

Quem morem domum deorum coronandi ad hominum quoque sacrorum domos translatum esse facile intellegitur. Sic Plinius (n. h. XV 127) laurum, quae omnibus plantis in usu sacro praestitit[2], 'gratissimum domibus ianitricem Caesarum pontificumque' vocat, quae 'sola et domos exornat et ante limina excubat'. Dracont. Med. 336 sq.: 'Tunc regia lauro| cingitur et postes soceri pia serta coronant'. Cass. Dio LIII 16, 4: *Καὶ γὰρ τότε δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι καὶ τὸ τὸν στέφανον δρύϊνον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι*[3].

---

[1] V. supra 12 sq.; Schmeizel l. c. 51 sq.; Hesseling l. c. 53 sq.

[2] Lauro omnibus in ritibus praeter alias plantas uti solebant, quod est arbor semper virens (Geop. XI 1). Qua ex vi lauri auctoritas in ritu Graecorum gestandi *εἰρεσιώνην* orta esse videtur, cuius ritus nominibus virorum doctorum, qui nostra aetate de hac re scripserunt, praemissis testimonia veterum collegit Pley l. c. 58 sqq. Propter vivacitatem arbor laurea numen fertilitatis apud Gallos existimatur et messe facta spiceis, floribus, taeniis ornata in ultima vectura ponitur, deinde autem ad horrei tectum alligatur (Mannhardt *W. F. K.* I 205; 207). Quocum comparetur ramorum laureorum usus *als Lebensrute* ibd. *W. F. K.* I 281, 1. — Magni quoque interest vim lustrandi iam ex significatione verbi lauri ipsius repeti, cum alii vocem lauri cum verbo 'luo', 'lavo' similiterque Benfeyo auctore vocabulum *δάφνης* cum verbis *δέφω*, *δεψέω*, *δέψω*, quae '*benetzen*' significant, cohaerere, alii huic verbo notionem, quae '*brennen*' significat, inesse putant. V. Hehn[8] l. c. 602.

[3] Alia exempla collegit Ogle *Americ. Journ. of Phil.* XXXI 1910, 293 sqq. Id. *Americ. Journ.* XXXII 1911, 256; cf. etiam Pley l. c. 52.

Deinde huc spectant illae coronae sepulcris et domibus insculptae, quarum commonefacit Heim[1], velut CIL III 120 corona laurea inest, infra angues duo hac cum inscriptione: 'Intra ... FEL(iciter)'; v. etiam CIL VI 77; 2278; 20191; VII 544. Kaibel IGS nr. 1834; Eph. epigraph. VIII 244.

Eadem ratione, qua veteres domus et deorum et privatorum coronabant frondibus, nostratium quoque mos, quem vocamus *Richtmai*, ortus esse videtur. Fastigio enim domuum, ubicumque exstructae sunt, arbor viridis variis ornamentis onusta affigitur, ut domibus sit tutamento contra daemones malignos[2].

Festis imprimis diebus et feriis eius dei, cuius templum erat sacrum, illa loca sacra integris arborum frondibus conspergi atque exornari solebant, ut Faunae deae, quod exemplis multis demonstravit Mannhardt *Mythol. Forsch.*, Straßburg 1884, 117sqq.[3].

In templo exstruendo coronas magna auctoritate fuisse loco Taciti prolato ostendimus (supra 11). Exstant alia testimonia: Prop. IV 9, 24sqq.: 'Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus, | femineae loca clausa deae fortesque piandos, | impune et nullis sacra retecta viris. | Devia puniceae velabant limina vittae, | putris odorato luxerat igne casa, | populus et longis ornabat frondibus aedem, | multaque cantantes umbra tegebat aves'. Vergilius (Aen. IV 457 sqq.) de ornamento sacelli, quod Dido Sychaeo marito priori construxit, dicit: 'Praeterea

[1] Heim *Fleckeis. Jahrb.* Suppl. XIX 1893, 508.

[2] Cf. Mannhardt *W. F. K.* I 218sqq.

[3] Idem vir doctissimus apud Britannos solum ecclesiae die festo ramis laureis consterni demonstravit (*W. F. K.* I 242). Quam consuetudinem apud Germanos quoque viguisse Schmeizel (l. c. 62) Polydori Vergilii (de Inv. Rer. lib. V cap. 1) verbis confirmavit: 'Sunt itaque multi ritus prope germani, ex quibus et hic est: Apud nos festis diebus templa et domus nuptiales aulaeis exornantur. Lauro et hedera aliisque festis frondibus vestiuntur fores, ac vestibula coronantur spargunturque floribus. Quae hercule omnia ipsi idolorum cultores antea servabant'. In Corp. iur. can. decr. 2, 26, 7, 13 haec leguntur: 'Non licet iniquas observationes agere Kalendarum et otiis vacare gentilibus neque lauro aut viriditate arbore cingere domus'. Quem in morem coronationis Kalendis usitatum invectus est I. Chrysostom. in Kalend. cap. 1 et 3 (ed. Migne 953 p. 698, 957 p. 701). De ritibus magicis Kalendis Ianuarii usitatis cf. Friedberg *Aus deutschen Bussbüchern*, Halle 1868, 25sq., 83, 92.

fuit in tectis de marmore templum | coniugis antiqui, miro quod honore colebat, | velleribus niveis et festa fronde revinctum'. Penquitt[1] recte quidem Dielsio[2] assentitur antiquos id fecisse, 'ut talibus velamentis malum arcerent' et Servium laudat 'festa fronde divina tamquam numen coleret'. Cum enim Romani imperatores tamquam deos colere incipierent, eorum delubra hoc signo venerationis divinae exornata esse.

Atque etiam deorum signa coronis redimita fuisse iam (supra 12) commemoravimus, quo honore postea statuae quoque virorum illustrium afficiebantur. Quo in usu auctoritatem coronarum et ex ritu cingendi et ex vi materiae duci posse ex alia caerimonia in statuis deorum consecrandis acta concludere liceat, quem Poulsen[3] Aristophane (Plut. 1197 et schol.) auctore sic explicat: *Bei der Einweihung von Götterbildern trugen prächtig gekleidete Weiber χύτραι mit gekochten Hülsenfrüchten herum.*

Ad coronationem statuarum quidem deorum spectant[4], Aelian. v. h. IX 39: *Ἀναδήσας πολλαῖς ταινίαις καὶ στεφανώσας τὸ ἄγαλμα καὶ θύσας καὶ κόσμον αὐτῷ περιβαλὼν πολυτελῆ εἶτα ἑαυτὸν ἀπέκτεινε, μυρία προκλαύσας.* Dio Chrys. XII 211: *Διὰ δὲ τὴν πρὸς τὸ δαιμόνιον γνώμην ἰσχυρὸς ἔρως πᾶσι ἀνθρώποις ἐγγύθεν τιμᾶν καὶ θεραπεύειν*[5] *τὸ θεῖον προσιόντας καὶ ἁπτομένους μετὰ πειθοῦς θύοντας καὶ στεφανοῦντας.*

Saepius ἄγαλμα omnibus in partibus ramis sacris obtectum erat, ut Pausanias (I 27, 1) de Mercurii Erichthonii imagine ramis myrteis involuta tradit. Similiter idolum Cereris ramis frondeis floribusque velatum in nummis conspicimus[6].

---

[1] E. Penquitt, De Didonis Vergilianae exitu, Diss. Regimont. 1910, 29.

[2] Diels *Sibyll. Bl.* 121 sq.

[3] Poulsen *Dipylongräber u. Dipylonvasen*, Lpzg. 1905, 48.

[4] Cf. Hermann *Gottesdienstl. Altert.*[2] 94 § 18[10]; de sacerdotibus vel collegio, qui deorum simulacra coronanda curabant, egit Kuhnert, De cura statuarum apud Graecos, Berol. 1883. Titulis illic commemoratis nonnulla addidit Hesseling l. c. 59.

[5] De notione vocis *θεραπεύειν* v. Harrison *Proleg.* 10.

[6] V. Overbeck *K. M. Demeter u. Kore*, Münztafel 8 nr. 1—5; de Iunonis Samensis ornamento simili cf. Lactant. Instit. I 8; Wieseler *Denkm.* I 8.

Huc etiam pertinet omphalus Delphicus, quem myrteis sertis coronisque ornatum fuisse Hock (l. c. 36) multis exemplis probavit. Tripodem coronis laureis redimitum fuisse Ogle (*Americ. Journ.* XXXI 302) demonstravit.

Vice signorum deorum lapides et arbores fungebantur, quae eaedem coronis abundabant. Exemplis supra (12) laudatis addo, quod Lucianus p. 519 (Char. 22) Charontem ex Mercurio quaerentem facit: *Τί οὖν ἐκεῖνοι στεφανοῦσι τοὺς λίθους καὶ χρίουσι μύρῳ;* Cui respondit Mercurius: *Οὐκ οἶδα, ὦ πορθμεῦ, τί ταῦτα πρὸς τοὺς ἐν ᾅδου.*

Arbores ipsas coronis ornabant veteres, cuius rei testimonia in libris eorum, qui de arborum cultu egerunt, permulta invenies[1].

Omnes autem fere coronae, quas ad illa deorum signa consecranda adhibebant veteres, progrediente tempore ipsa munera sacra factae sunt[2]. Pauperes enim Luciano p. 528 (de sacrif. 2) teste vel gallo vel ture vel sola corona deos sibi conciliabant. Nonnulla sacra e coronis tantum constabant: Etym. Magn. 402, 22 s. v. *ἔφεσος ... στεφάνοις διὰ θαλλῶν τὰς ἱκεσίας ποιοῦσιν.* Coronam meretrix, quae de quaestu suo libera facta est, Priapo dono dat: carm. Priap. XXXX (ed. Bücheler *Petron*[4] 147): 'Nota Suburanas inter Telethusa puellas, | quae, puto, de quaestu libera facta suo est, | cingit inaurata penem tibi, sancte, corona: | hunc pathicae summi numinis instar habent'.

In sacrificando coronas ex iis plantis potissimum nexas fuisse, quae deis, quibus sacrificium fieret, sacrae essent — *τοῖς προσήκουσι καὶ νενομισμένοις ἄνθεσι καὶ κλάδοις* (Artem. II 34) —, facile intellegitur. Hinc igitur Ovidius puellas, quae corpore quaestum faciebant, hortatur, fast. IV 865 sqq.: 'Numina volgares Veneris celebrate puellae! | Multa professarum quaestibus apta Venus. | Poscite ture dato formam populique favorem, | poscite blanditias dignaque verba ioco. | Cumque sua dominae date grata sisymbria myrto | tectaque composita iuncea vincla rosa'.

[1] V. Boetticher *B. K.* passim; Mannhardt *W. F. K.*, imprimis II cap. IV; Dieterich *Arch. Rel.* VIII 1905, Beiheft 82 sqq.; Hock l. c. 22; Pley l. c. 55 sq. [2] Cf. Hesseling l. c. 58.

Quem locum Schmeizel (l. c. 63) recte sic interpretatur: 'Vos, quotquot estis, quae corpore quaestum facitis, Veneri nectite coronam iunceam cui haereant rosa, sisymbria, myrtus, quae omnia sunt Veneris'. 'Puellae enim', inquit idem vir doctus, 'quae Veneri militabant, languidas corollas suo capiti demtas, deo cuipiam in munus dederunt'.

Coronae vero instar munerum dedicatae vim vincientem servaverunt, cum eas deis eo consilio offerrent veteres, aut ut deos sibi obligarent, aut ut deis gratiam debitam referrent. Quod optime docet Plautus. In ea enim comoedia, quae Aulularia vocatur, lar familiaris gloriatur de filia (v. 23 sq.): 'Ea mihi cotidie | aut ture aut vino aut aliqui semper supplicat: | dat mihi coronas'. Quocum compares Euclionis senis verba v. 385 sqq.: 'Nunc tusculum emi hoc et coronas floreas: | Haec imponentur in foco nostro Lari, | ut fortunatas faciat gnatae nuptias'. Cato de agr. cult. 143: 'Kalendis, idibus, nonis festus dies cum erit, coronam in focum indat (vilica), per eosdemque dies lari familiari pro copia supplicet'.

Hanc consuetudinem coronas sacrificandi saepius spectare ad oblationem primitiarum[1] Schmeizelio (l. c. 65) quidem assentior. Tibull. I 10, 21 sqq.: 'Hic (sc. lar) placatus erat, seu quis libaverat uvam, | seu dederat sanctae spicea serta comae'. Iuven. sat. XII 89 sq.: 'Hic nostrum placabo Iovem Laribusque paternis | tura dabo atque omnis violae iactabo colores'. Hor. carm. III 23, 13 sqq.: 'Te nihil attinet | temptare multa caede bidentium | parvos coronantem marino | rore[2] deos fragilique myrto'.

Nec vero templa tantum ac simulacra deorum, sed et homines ipsi sacrificantes et omnia, quae ad sacrificia adhibebantur, coronis erant ornati. Sappho (apud Athen. XV p. 674 e) deos dicit aversari eos, qui non sint coronati *ἀστεφανώτοισι δ' ἀποστρέφονται*, et addit Athenaeus *εὐανθέστερον*

---

[1] De primitiis v. Pley l. c. 26, 1.

[2] De rore marino dicit Apul. de herb. 79: 'Antequam tus sciretur haec herba deos homines placabant'. V. Kießling ad Horat. carm. III 23, 15. Herbas quoque saepius item ac tus combustas esse multa sunt exempla velut apud Verg. ecl. VIII 65 verbenas, apud Propert. V 3, 58 herbam Sabinam.

γὰρ καὶ κεχαρισμένον μᾶλλον τοῖς θεοῖς παραγγέλλει στεφανοῦσθαι τοὺς θύοντας. Omnis enim sacerdos aut quivis homo privatus rem divinam agens *ἐστεμμένος* erat.

Quo autem in usu praeter auctoritatem plantarum mala propulsantium lustrantiumque vim coronarum vincientem viguisse inde colligere liceat, quod Hesychius s. v. *ταινία* eas vocat *στέμματα τῶν ἱερέων, διαδήματα ἀρχιερατικά, ἢ ζώνας, ἢ στεφάνους, κόσμους ἢ δεσμοὺς ἱερούς.* Idem s. v. *ταινιοῦντες· κοσμοῦντες, δεσμοῦντες, στεφανοῦντες.*

Coronae igitur vincula sacra vocantur, quod significare videtur homines illo sacro vinculo et semet ipsos deis obligasse et eos coegisse, ne sibi petentibus deessent[1]. Ex ingenti numero testimonium profero[2]: In monumento Magnesiae invento praescriptum est: *Καθήσθωσαν δὲ οἱ προγεγραμμένοι ἐν τῷ ἱερῷ κοσμίως ἐν ἐσθῆσιν λαμπραῖς ἐστεφανωμένοι στεφάνοις. Athen. Mitt.* VII 72, 38[3].

CIG 3595: *Ὅταν ποιῶσι τὰς θυσίας στεφανηφορείτωσαν οἱ πολῖται καὶ οἱ πάροικοι πάντες.* CIG 4697: *Στεφανηφορήσουσιν συντελοῦντες θυσίας καὶ σπονδὰς καὶ τἄλλα τὰ καθήκοντα*[4].

Sacerdotis Iovis Pergamenensis vestitus hic est: *Ὁ δ' ἀεὶ λαχὼν φορείτω χλαμύδα λευκὴν καὶ στέφανον ἐλάας μετὰ ταινιδίου φοινικοῦ* (Dittenberger Syll.[2] nr. 604 = Fränkel nr. 40). Testimonio etiam sunt illae fabulae ex vita Xenophontis et Mini supra (19) prolatae.

Agricolae, qui sacra ambarvalia celebrabant, coronas gestabant. Apud Vergilium (Georg. I 349 sqq.) chorus Cereri operans redimitus est 'tempora quercu', quod ad tempora vetustissima spectare putat Servius: 'Torta redimitus tempora quercu id est habens in memoriam victum priorem, a quo Cereris revocatus est benignitate: nam olim homines glandibus[5] vescebantur'.

[1] V. supra 15 sqq.

[2] Cf. Stengel *Gr. Kultusaltert.*[2] 97; Hesseling l. c. 51 sq.; Wächter *RGVV* IX 1, 12; Appel, De Romanorum precationibus *RGVV* VII 2, 1909, 111; Pley l. c. 35 sqq.

[3] Cf. etiam *Ephem. arch.* 1898, 249; Diels *Sibyll. Bl.* 51, 4; 120; Hock l. c. 114 sq.; *Arch. Anz.* 1910, 461 tab. IV.

[4] V. Hesseling l. c. 52 sq.

[5] Glandes initio alimentum hominum putasse veteres testes sunt Tibull. II 1, 38; II 3, 69; Verg. Georg. I 147; Ov. met. I 103; fast. IV 395 sqq.

Tibullus (II 1, 13) turbam agricolarum sic describit: 'Pura cum veste venite | et manibus puris sumite fontis aquam | cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras | vinctaque post olea candida turba comas'.

Corona myrtea eodem in festo agresti usitata est, ut Tibulli carm. I 10,27 docet. Spiceam coronam gestabant fratres arvales. Plin. XVIII 6; Gell. VII 7, 8; CIL 2104, 22; Henzen, Acta fr. arv. 28 [1].

Coronas quidem sacerdotales etiam apud gentes cultu inferiores invenimus. Apud gentem, quae insulas *Westkarolinen* vocatas incolit, 'sacerdos' vultu fucato coronam in capite gestans naves consecrat [2]. Similiter sacerdotes Africanae ritus funebres vultu corticis fibris coloreque albo obtecto caput ramis ornatae agunt [3].

Eadem de causa, qua sacerdotes coronas gestabant, vel omnes, qui sacris aderant, erant coronati. Huc primum spectat, quod coronatio in mysteriis vigebat.

In pompa Iacchi, quae in mysteriis Eleusiniis ducebatur, et puer, qui personam dei agebat, et omnes mystae coronis myrteis aut populeis erant redimiti [4].

Theo Smyrnaeus (14, 18 sqq. Hiller) singulorum graduum consecrationis mysticae mentionem facit quartoque loco στεμμάτων ἐπίθεσιν profert. Quem locum recte explicat Harrison (Proleg. 593): *We know that the putting on of garlands or στέμματα was the final stage of initiation for Hierophants and other priests, a stage that was as it were Consecration and Ordination in one* [5]*; but the putting on of garlands is not the entering of a garlanded enclosure* [6]*, and it is the entering of an enclosure that the 'eager feet' seem to imply.* In inscriptione

[1] V. supra 13, 3. Fratres arvales non solum coronis, sed etiam vittis erant ornati et praetextati capite velato ritum lustrationis faciebant. Cui ornatui vim lustrantem apotropaeamque inesse Diels (*Sib. Bl.* 69, 2; 51, 4) et Pley (l. c. 45 sqq.) probaverunt.

[2] V. *Globus* 87, 1905, 78. [3] V. *Globus* 87, 1905, 392.

[4] Cf. schol. Arist. Ran. 330; Bötticher *B. K.* 451, 33; Schömann *Gr. Altert.* II 345, 347; Mommsen *Feste der Stadt Athen* 256; Hock l. c. 122; Pringsheim *Arch. Beiträge zur Gesch. d. eleusin. Kultus*, Diss. München 1905, 8; 14; coronas populeas ad hunc ritum adhibitas esse tradidit Demosth. XVIII 260. [5] Cf. supra 15 sqq. [6] V. 8 sqq.

Andaniensi[1] § 12 scriptum videmus: *Στεφάνων· στεφάνους δὲ ἐχόντω οἱ μὲν ἱεροὶ καὶ αἱ ἱεραὶ πῖλον*[2] *λευκόν, τῶν δὲ τελουμένων οἱ πρωτομύσται στλεγγίδα. ὅταν δὲ οἱ ἱεροὶ παραγγείλωντι, τὰμ μὲν στλεγγίδα ἀποθέσθωσαν, στεφανούσθωσαν δὲ πάντες δάφνᾳ.*

Samothracae ramis oleagineis infulisque mystas se coronavisse et coxas taeniis cinxisse Hock (l. c. 124) testimoniis confirmavit. Qua ex re colligere possumus mystas et coronis et infulis propter vim earum vincientem usos esse.

Coronatione igitur illi mystae similiter ac meretrices Babylonicae (v. supra 15) indicabant se deis vel numini quodam addictos esse. Accedebat etiam frondis vis lustrans.

Item atque ii, qui sacris intererant, eae res, quae deis sacrificabantur, coronari solebant. Qua in consuetudine vigebat utraque ratio, vel quod ritu coronandi inerat auctoritas consecrationis, vel quod ramis frondeis ipsis inerat vis lustrandi depellendique daemones.

Primum igitur hostia coronis redimiebatur[3]. Cuius moris testimonium antiquissimum Homerus ipse praebere videtur. Ulixis enim comes capita victimarum foliis quercus pro hordeo conspergunt. Od. *μ* 357 sq.: *Φύλλα δρεψάμενοι τέρενα δρυὸς ὑψικόμοιο | οὐ γὰρ ἔχον κρῖ λευκὸν ἐνσσέλμου ἐπὶ νηός.* Quem ritum coronandi consuetudinis simillimum lustrandi vim habuisse haud temere arbitramur. Stengel, quamquam illa folia pro *οὐλοχύταις*[4] usitata esse intellegit, foliis vim lustrandi inesse non recte quidem negat: *Blättern hat man doch sicherlich eine reinigende Kraft nicht zugeschrieben, aber im Ritual würde ein Glied fehlen, wenn man nicht οὐλόχυται oder einen Ersatz dafür streute, und wie das Wasser, das man statt des Weines spendete* (v. 363), *sind in diesem besonderen Falle auch die Blätter eine Darbringung.*

---

[1] Sauppe *Abh. G. G.* VII 1859, 229; eadem inscriptio edita est: *Ausgew. Schriften*, Berlin 1896, 261 sqq.; Dittenberger, Syll. nr. 388 p. 567 sqq.

[2] De hoc ornamento v. Pley l. c. 37 sq.

[3] V. Böttieber *B. K.* 317; Schmeizel l. c. 66; Hesseling l. c. 53; Stengel *Gr. Kultusaltert.*[2] 97; id. *Opferbräuche* 17.

[4] De *οὐλοχύτων* vi lustrandi v. Ziehen *Herm.* XXXVII 1902, 391 sqq.; Stengel *Opferbr.* 14 sqq.

Aristophanes nub. 255 sqq. de hoc coronarum usu iocatur, cum Strepsiades, priusquam a Socrate erudiatur, praeter alias caerimonias coronetur oportet. Socr. *τουτονὶ τοίνυν λαβὲ | τὸν στέφανον.* Streps. *ἐπὶ τί στέφανον; οἴμοι, Σώκρατες, | ὥσπερ με τὸν Ἀθάμανθ' ὅπως μὴ θύσατε.* | Socr. *οὐκ ἀλλὰ ταῦτα πάντα τοὺς τελουμένους | ἡμεῖς ποιοῦμεν*[1]. Notissimum est Iphigeniam corona crines redimitam immolatam esse, Eurip. Iph. Aul. 1080 sq.: *Σὲ δ' ἐπὶ κάρα στέψουσι καλλικόμαν | πλόκαμον*[2]. Huc illud quoque exemplum spectat, cuius mentionem fecit Pley (l. c. 49). Antonino enim Liberali (*μεταμορφώσεων συναγωγή* VIII 4) auctore in Parnasso portentum habitabat, quod *Λάμια* vel *Σύβαρις* vocabatur; ut urbs ab hoc portento liberetur, iuvenis iussu Apollinis sorte legitur, quem immolant: *Καὶ οἱ μὲν ἱερεῖς τὸν Ἀλκυονέα στέψαντες ἀπήγαγον εἰς τὸν τῆς Συβάριδος σπήλαιον.* Pausanias narrat Patris antiquissimis temporibus homines Dianae immolatos esse: cui mori saevo cum Bacchus, fautor vitae humanioris, finem fecisset, unum pristinae crudelitatis vestigium remansit[3]. Pausanias VII 20 haec habet: *Μιᾷ δὲ ἐν τῇ ἑορτῇ νυκτὶ ἐς τὸ ἐκτὸς φέρει τὴν λάρνακα ὁ ἱερεύς. αὕτη μὲν δὴ ἡ νὺξ γέρας τοῦτο εἴληφε, καταβαίνουσι δὲ καὶ ὁπόσοι δὴ τῶν ἐπιχωρίων παῖδες ἐπὶ τὸν Μείλιχον ἀστάχυσιν ἐστεφανωμένοι τὰς κεφαλάς· ἐκόσμουν δὲ οὕτω καὶ τὸ ἀρχαῖον οὓς ἄγοιεν τῇ Ἀρτέμιδι θύσοντες. Τὰ δὲ ἐφ' ἡμῶν στεφάνους μὲν τῶν ἀσταχύων ἀποτίθενται παρὰ τῇ θεῷ, λουσάμενοι δὲ τῷ ποταμῷ καὶ αὖθις στεφάνους ἐπιθέμενοι κισσοῦ πρὸς τὸν ἱερὸν ἴασι τοῦ Αἰσυμνήτου.*

Quocum ritu comparetur, quod a coronatione victimarum velamentum frondeum, quo in pompis nostratium ubertatis excitandae causa habitis pueri aut puellae nudati induti sunt, originem trahere Weinhold[4] putat.

Denique cum victimarum coronatione cohaerere videtur consuetudo servos publicos sub corona vendendi[5]. Qui mos ad

---

[1] Ad mysterias hunc locum pertinere docuit Kock (ed.[4] Berlin 1894, 90); Dieterich *Rh. Mus.* XXXXVIII 1893, 276; de coronatione mystarum v. 42.

[2] Cf. Mus. Borb. IV 3; Baumeister *Denkm.* I 755.

[3] Cf. etiam Hesseling l. c. 57.

[4] Weinhold *Abhdl. Berl. Akad.* 1896, 26.

[5] V. Lange *Röm. Altertümer* I Berlin 1876, 188 sqq.; Marquardt-

servos solos iure belli captos pertinebat[1]. Festus 306[b]: 'Sub corona venire dicuntur quia captivi coronati solent venire, ut ait Cato in eo, qui est de re militari: ut populus sua opera potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veneat'. Caelius Sabinus apud Gellium VI 4, 3 sq.: 'Antiquitus manicipia iure belli capta coronis induta veniebant, et idcirco dicebantur 'sub corona' venire. Namque ut ea corona signum erat captivorum venalium, ita pilleus impositus demonstrabat eiusmodi servos venumdari, quorum venditor nihil praestaret.' Varro de r. r. 2, 10, 4: 'Aut si e praeda sub corona emit'.

Ex coronarum usu in sacrificiis colligere possumus coronam, sub qua captivi veniebant, indicasse eos initio immolatos fuisse. Quod iam Lange[2] indicavit, qui coronam significare '*die Schenkung des Lebens*' putat.

Captivos initio immolatos esse Samter[3] alio ritu Wilkenio[4] auctore ex Iudaeorum consuetudine sumpto confirmavit. Apud Iudaeos enim item atque apud Romanos mos erat, ut capillos victimarum prociderent. Quo ritu etiam captivi, qui immolabantur, afficiebantur. Postea autem cum animi hominum mitigati essent, vitae captivorum pepercerunt et servos vendiderunt. Ritus desecandorum capillorum semper permansit.

Deinde ritum sub corona vendendi fuisse caerimoniam sacram more vendendi captivos sub hasta probatur[5]. Hastam enim tangere oportebat, qui inferis se dedebat[6].

Denique comparationi est, quod narrat Strabo (VII 2, 3) de ritu sacerdotum divinarum Cimbrorum: *Τοῖς οὖν αἰχμαλώτοις διὰ τοῦ στρατοπέδου συνήντων ξιφήρεις. Κατασέψασαι δ' αὐτοὺς* (sc. captivos) *ἦγον ἐπὶ κρατῆρα χαλκοῦν, ὅσον ἀμφορέων*

Mommsen *Privatleben d. Römer* I 164 sqq.; Blümner *Röm. Privatalterthümer*[3] 1911, 277 sqq.; Encyclop. Britannica[11] vol. XXV 216 sq. s. v. *slavery*. Livio (II 17, 6) auctore hic mos iam quinto a. Chr. n. saeculo vigebat.

[1] V. Marquardt-Mommsen l. c. 169, 6.

[2] Lange l. c. 189.

[3] Samter *Geb. Hochz. Tod* 184, 3.

[4] *Revue Colon. Intern.* IV 1887, 40.

[5] Blümner l. c. 278. [6] Schulten *PW* VII 2, 2502 s. v. 'hasta'.

εἴκοσι. Εἶχον δὲ ἀναβάθραν, ἣν ἀναβᾶσα ὑπερπετὴς τοῦ λέβητος ἑλαιμοτόμει ἕκαστον μετεωρισθέντα[1].

Sed etiam aliam rationem, qua servi sub corona venire solebant, profert Gellius VI 4, 4: 'Est autem alia rationis opinio (sc. atque Sabini) cur dici solitum sit captivos 'sub corona' venumdari, quod milites custodiae causa captivorum venalium greges circumstarent eaque circumstatio militum corona apellata sit'. Quam Gellii sententiam sequi non possumus.

Vasa etiam omnia atque alias res ad sacrificium adhibita coronata fuisse vix exemplis probari opus est, cum facile ex multorum virorum doctorum libris eruantur[2]. Tibull. I 10, 27 sq.: 'Hanc pura cum veste sequar myrtoque canistra | vincta geram, myrto vinctus et ipse caput'. Id. II 5, 97: 'Aut e veste sua tendent umbracula sertis | vincta, coronatus stabit et ipse calix.' Cf. etiam Suidam s. v. ἐπιστεφέας κρατῆρας.

A rebus sacris coronae in conviviis gestatae fluxisse videntur[3]. Nam cena antiquissimis temporibus erat caerimonia sacra. Fustel de Coulanges[4]: *Eine auf einem Altar zubereitete Nahrung zu genießen, war allem Anschein nach die erste Form, die der Mensch einer religiösen Handlung gegeben hat. Das Bedürfnis, sich mit der Gottheit in Glaubensgemeinschaft zu setzen, wurde durch diese Mahlzeit, zu der man sie einlud und von der man ihr ihren Anteil gab, befriedigt.* Item ac ritus manus abluendi, quam caerimoniam νίψασθαι, ἀπονίζειν ὕδωρ κατὰ χειρός Homerus quidem vocat, lustrandi causa fiebat, vel libatio[5], qua aetate Homeri et ante cenam et post fungebantur, erat ritus religiosus, quem posteris temporibus tantum post

---

[1] V. Grimm *Deutsch. Myth.* I[4] 45. 79; P. Herrmann *Deutsch. Myth.*, Lpzg. 1898, 422; Heckenbach l. c. 27.

[2] Paschalius l. c. 263 sq.; Schmeizel l. c. 65 sqq.; Hesseling 53.

[3] Artis testimonia collegit Klein l. c. 26 sqq.

[4] Fustel de Coulanges *Der antike Staat*, übers. v. Weiß, Berlin 1907, 182; cf. 24; 184; Saglio *Dict.* I 2, 1269 s. v. coena: *Les prières du repas, le langage même, qui continuait à employer dans une acception vulgaire des termes appliqués autrefois aux choses consacrées étaient les témoins d'un âge où l'homme croyait véritablement partager avec les dieux ses aliments.*

[5] Rationis libandi a vi solvendi *le tabou des prémices* (Reinach l. c. I[2] 114) origo trahitur. Deinde autem in hoc ritu ratio sacrificandi alicui numini vigebat.

cenam ineunte potione agebant. Similiter coronae usus in cena auctoritatem eius sacram indicabat. Fustel de Coulanges (l. c. 184): *Jeder Gast trug einen Kranz auf dem Haupte; es war tatsächlich ein antiker Gebrauch, sich mit Blättern und Blumen zu bekränzen, wann immer man eine feierliche Handlung der Religion vollzog.* Coronas autem in cenis propter vim earum apotropaeam adhibitas esse facile intellegitur, nam illis hominibus, qui inter cenam sacram puri esse debebant, cavendum erat, ne in daemonum manus inciderent aut a numine ipso, quod inter se cenare putabant, laederentur.

Nonnullarum cenarum sacrarum, quae ad religionis primordia spectant, mentionem facio.

Primum locum obtinet festum Iunonis Samensis. Omnes enim, qui his feriis intererant, in agnis castis procumbentes, coronis eiusdem plantae redimiti, cenabant (Athen. XV 671 sq.). Item in ambarvalium feriis fratres arvales omnibus illis tribus diebus rosaceis quidem plactilibus coronis ornati cenam faciebant (CIL VI 2104; 2075[b]; Wissowa ap. *PW* II 2, 1475).

Quod autem coronae fratrum arvalium in cena gestatae ex rosis nexae erant, cum in ambarvalibus ipsis coronis spiceis redimiti essent, ex renovatione aetate Augusti facta declarari potest et ad illius aetatis luxuriam spectat.

Eodem modo ac libatio[1] posteris temporibus post cenam fiebat, coronatio in mensa secunda florebat, ut illis coronis rosaceis fratres arvales utebantur. Coronas autem iam initio cenarum adhibitas esse veteres docet Suidas s. v. *κατὰ χειρὸς ὕδωρ· 'φέρε παῖ στέφανον. κατὰ χειρὸς ὕδωρ φερέτω τις'. ὁ δὲ λέγει 'δειπνήσειν μέλλομεν, ἢ τί;' τὸ γὰρ παλαιὸν τοῖς εὐχουμένοις περιέκειντο στέφανοι, καταψύχοντες τὸ κρανίον ἀπὸ τοῦ οἴνου μέθης καὶ θέρμης.* V. schol. Arist. av. 463; Athen. XV 671; Senec. de ira II 33.

Coronarum usu in commissatione Libero totos se dedituros esse indicabant. Inde etiam factum est, ut coronas propter vim foliorum virentium refrigantem in conviviis usitatas esse putarent scriptores et antiqui et recentiores[2].

[1] V. Daremb.-Sagl. I[2] 1270.

[2] Schmeizel l. c. 11 ut 'vinculo illo [i. e. corona] tamquam amuleto se munirent adversa mala instantis aut praesentis ebrietatis'. Liceat mihi

Plut. quaest. conviv. III 647 A: *Ὁ δὲ Διόνυσος οὐ μόνον τῷ τὸν οἶνον εὑρεῖν, ἰσχυρότατον φάρμακον καὶ ἥδιστον, ἰατρὸς ἐνομίσθη μέτριος, ἀλλὰ καὶ τῷ τὸν κιττὸν ἀντιτατόμενον μάλιστα τῇ δυνάμει πρὸς τὸν οἶνον εἰς τιμὴν προαγαγεῖν, καὶ στεφανοῦσθαι διδάξει τοὺς βακχεύοντας, ὡς ἧττον ὑπὸ τοῦ οἴνου ἁλιῶντο, τοῦ κιττοῦ κατασβεννύντος τὴν μέθην τῇ ψυχρότητι. . . . . Μάλιστα μὲν γὰρ ὁ ἄκρατος, ὅταν τῆς κεφαλῆς καθάψηται καὶ τονώσῃ τὰ σώματα πρὸς τὰς τῶν αἰσθήσεων ἀρχάς, ἐπιταράσσει τὸν ἄνθρωπον· αἱ δὲ τῶν ἀνθέων ἀπορροαὶ πρὸς τοῦτο θαυμασίως βοηθοῦσι καὶ ἀποτειχίζουσι τὴν κεφαλὴν ἀπὸ τῆς μέθης ὡς ἀκρόπολιν, τῶν μὲν θερμῶν μαλακῶς ἀναχαλώντων τοὺς πόρους καὶ ἀναπνοὴν τῷ οἴνῳ διδόντων, ὅσα δ' ἡσυχῇ ψυχρὰ τῷ μετρίως ἐπιψαύειν ἀνακρουομένων τὰς ἀναθυμιάσεις, ὥσπερ ὁ τῶν ἴων καὶ ῥόδων στέφανος κτλ.*

Athen. XV 675 c sqq.: *Ἀλγήσας γάρ τις κεφαλήν, ὥς φησιν Ἀδρέας, εἶτα πιέσας καὶ κουφισθεὶς εὗρεν κεφαλαλγίας δεσμὸν φάρμακον. Τούτῳ οὖν βοηθήματι πρὸς πότους χρώμενοι τοῖς παραπίπτουσι τὴν κεφαλὴν ἐδέσμευον. Καὶ ἐπὶ τὸν κίσσινον στέφανον ἦλθεν αὐτόματόν τε καὶ πολὺν κατὰ πάντα τόπον γεννώμενον, ἔχοντα καὶ πρόσοψιν οὐκ ἀτερπῆ, χλωροῖς πετάλοις καὶ κορύμβοις σκιάζοντα τὸ μέτωπον καὶ τοὺς ἐν τῷ σφίγγειν τόνους ὑπομένοντα, προσέτι δὲ ψύχοντα χωρὶς ὀδμῆς καρούσης. Καὶ ταύτῃ μοι δοκεῖ Διονύσῳ ὁ βίος ἀνεῖναι τὸ στέφος τὸν εὑρετὴν τοῦ πώματος καὶ τῶν δι' αὐτὸ ἐλασσωμάτων ἀλεξητῆρα βουλόμενος εἶναι.*

Quibus ex locis satis apparet, cum illa sacra convivia

---

afferre, quae verba fecit de hac coronarum vi Blondel l. c. 17: *On ignore si les premières couronnes eurent en Grèce un autre but que celui d'honorer les dieux. Nous croyons raisonable de leur attribuer aussi un but d'utilité. Les anciens Grecs, au milieu de pénibles travaux des champs, se couvraient en partie la tête dans les moments de repos, afin de se procurer un peu de rafraîchissement contre l'ardeur du soleil auquel ils étaient exposés. Ils durent se servir d'abord pour cela des premiers objets champêtres qui se trouvaient à leur portée, telles que de simples poignées de gazon ou de plantes sauvages entrelacées ensemble. De là, les couronnes de gazon, corona graminea, les couronnes de feuilles de vigne, corona pampinea, et tant d'autres couronnes d'ache, de feuilles de chêne, de palmier, d'olivier, de laurier etc.* Qua ex vi omnem coronarum usum repetit Karikoyla initio dissertationis.

luxuria depravarentur[1], rationis, ex qua mos coronandi ortus est, oblitos fuisse veteres, similiter ac apud nos cenarum funebrium et illarum, quas *Kirmeßessen* vocamus, originis memor est nemo.

Ad rerum sacrarum religionem spectant etiam illae coronae, quibus in rebus funebribus utebantur veteres.

Iam apud Homerum (Il. VI 419) sepulcrum arbore consertum est[2]. Cuius moris adhibendi arbores ad mortuorum cultum vestigia temporibus ipsis Mycenaeis indagare possumus[3].

Eaedem fere erant caerimoniae funebres Graecorum Romanorumque[4]. Oculis atque ore clausis propinquae corpus lavatum et unctum vestibus puris amiciebant. Deinde mortuum in lecto ramis sacris vel frondibus ornato ponebant et caput eius corona redimiebant.

Cuius moris funebris primum testimonium ex litteris quidem captum in carmine epico incertae aetatis, quod *Ἀλκμαιωνίς* vocatur, habemus. Frgm. 2 (Kinkel p. 76 = Athen. XI 460 B) *Νέκυς δὲ χαμαὶ στρώτου ἔπι τείνας | εὐρείης στιβάδος, παρέθηκ' αὐτοῖσι θάλειαν | δαῖτα ποτήριά τε στεφάνους τ' ἐπὶ κρασὶν ἔθηκεν.*

Ex ingenti numero monumentorum[5] optimum exemplum

---

[1] Conviviorum luxuriam optime ostendit Petroni cena Trimalchionis cap. 60; cf. etiam Senec. dial. IV 33, 4 et praeter alios Guhl et Koner *Das Leben der Griechen und Römer*[6], Berlin 1893, 439 sqq. Cum Bacchi cultu forsitan cohaereat cauponarum nostratium coronamentum, cf. H. C. Bolton *Journ. of Americ. Folk-Lore* 20, 40; Andree *Zeitschr. d. Vereins für Volksk.* XVII 1907, 195 sq. [2] Hock l. c. 8.

[3] Cf. Schliemann *Mykenae* 1878, 221 sq.; Evans *J. H. S.* XXI 1901, 104; Hock l. c. 8; Lichtenberg *Die ägäische Kultur (Wissenschaft u. Bildung* LXXXIII 1911) fg. 53 et p. 131.

[4] De veterum ritibus funebribus exposuerunt Mau *P. W.* III 334 sqq. s. v. *Bestattung*; Pernice apud Gercke-Norden *Einl. in d. Altertumsw.* II 1910, 58 sqq.; Hermann-Blümner *Gr. Privataltertümer*[5] 364 sqq.; Marquardt *Privatleben d. R.* 330 sqq. De coronis mortuorum cf. Paschalium IV cap. 6; Schmeizel l. c. 44 sqq.; Lenz *Botanik d. Griechen und Römer* 176 sqq.; Hesseling l. c. 38 sqq.; Roß *Archäol. Aufsätze* 1855, I 25, 28, 37; Stephani *Compte rendu d. l. commission imp. archéologique* 1874, 138; 1875, 17; 1878, 114 sqq.; Siebourg *Arch. Rel.* VIII 1905, 391; Rohde *Ps.* I[5] 220; Hock l. c. 12; Wächter *Reinheitsvorschr.* 44 sq.; Klein l. c. 40 sqq.

[5] Cf. Hock l. c. 12; Poulsen l. c. 43.

est illud vas, quod Archemori fata exhibet[1]. Archemorum mortuum in lecto ramis frondeis ornato positum mulier capite velato corona myrtea est redimitura.

Ad mortuorum stratum fere omnes plantas adhibebant veteres. Athenis stratum mortui ex origano (Arist. Eccl. 1030) aut ex pampinis, Spartae ex oleagineis foliis compositum erat[2]. Quem morem Plinio auctore (n. h. XXXV 160) Pythagorei secuti mortuos 'in myrti et oleae atque populi nigrae foliis' sepeliebant. Sepulcris effossis haec consuetudo probatur, ut Roß (l. c. I 31) Fauvelio indice refert: *Le squelette couché sur un lit épais de feuilles d'olivier encore en état de brûler.* In Russicis quidem sepulcris, quae apud Kertsch effossa sunt, strata ex ramis quoque laureis facta inventa sunt[3], quamquam Artemidorus (Oneirocr. IV 57) dicit: *Τοῖς γὰρ ἀποθανοῦσιν ἐλαίας συνεκφέρουσιν, δάφνας δὲ οὐδαμῶς*[4]. Laureis sertis mortuum ipsum et arcam coronasse veteres et corpus in ramis laureis posuisse docuit praeter Aelianum (v. h. V 6) Fredrich[5] probavitque Watzinger[6]. Denique apud Sophoclem (Ant. 1201 sq.) ad Polynicis funus *θαλλοὺς* adhibitos esse invenies.

Item mortuorum coronae ex myrtis, olivis, lauris, apiis, aliis plantis erant nexae. Plantas semper virentes imprimis inveniri consentaneum est.

Myrtus[7] in ritibus funebribus multum valebat. Pythagoreos Plinio auctore (n. h. XXXV 160) in myrti foliis sepultos esse et Archemorum mortuum corona myrtea ornatum esse supra vidimus. Myrtus enim omni tempore erat *στέφος τῶν νεκρῶν* (cf. schol. Pind. Isthm. 4, 117; schol. Arist. Ran. 330; schol. Soph. Oed. Col. 681). Eadem fronde monumenta sepulcralia tumulique ipsi onerata erant (v. Eurip. El. 324; 512; Theophr. h. pl. V 8, 3; Verg. Aen. III 23)[8]. Itaque de

[1] V. Gerhard *Akad. Abhdlg.* Berlin 1866, tab. 1 p. 13; Heydemann *Katal.* nr. 3255; Baum. *Denkm.* I 113.

[2] V. Rohde *Ps.* I[5] 219.

[3] *Compte-rendu* 1863, 12 sq.; 1882, 16 sq.; Hesseling l. c. 41.

[4] V. supra 31.

[5] Fredrich *Sarkophag-Studien, Abh. G. G.* 1895, 90 adn. 85.

[6] Watzinger *Gr. Holzsarkophage*, Lpzg. 1905, 19; cf. Wächter l. c. 44.

[7] De myrto v. 32, 1; cf. etiam Koch *Bäume u. Sträucher. Griechenlands*, Stuttgart 1879, 155 sqq.; Aigremont l. c. I 97; 107 sq.

[8] Cf. Böttticher *B. K.* 454; Hock l. c. 12.

myrti usu in cultu mortuorum haec habet Rohde (*Ps.* I⁵ 220, 2): *Die Myrte ist den χθόνιοι heilig und daher sowohl den Mysten der Demeter als den Toten der Myrtenkranz eigentümlich.*

Olivam potissimum in ritibus funebribus usurpabant veteres. Oleae folia in eis frondibus invenimus, quibus mortui Pythagoreo ritu (Plin. n. h. XXXV 160) involvebantur. Mortui corpus in strato oleagineo ponere veteres solebant, ut Artemidorus (IV 57) et serta illa oleaginea ex tumulis effossa (v. supra 49) demonstraverunt. Qua deliberatione adducti mortuos coronaverint, ut explicemus, maximi momenti est, quod Lacedaemonii mortuum velamento rubro atque oleagineis ramis ornatum sepelire solebant: *Ἐν φοινικίδι καὶ φύλλοις ἐλαίας θέντας τὸ σῶμα περιστέλλειν* (sc. *ἐπέτρεψεν Λυκοῦργος*): Plut. inst. Lac. 18 p. 238 D; cf. etiam Plut. Lyc. 27; Plut. Cleom. 807: *Ἀποθανόντων δὲ συχνῶν τοὺς μὲν ἄλλους ὑποσπόνδους ὁ Κλεομένης ἀπέδωκε, τὸν δὲ Λυδιάδαν νεκρὸν ἀχθῆναι πρὸς αὑτὸν κελεύσας, κοσμήσας πορφυρίδι καὶ στέφανον ἐπιθείς, πρὸς τὰς πύλας τῶν Μεγαλοπολιτῶν ἀπέστειλεν*[1].

Quod Archemorus mortuus myrto est coronatus, Gerhard[2] mirari videtur, nam adnotat: *Man hätte einen Eppichkranz erwartet, als Vorbild des nemëischen Siegeskranzes, aber ein heiteres Laub ward vorgezogen.* Quocum comparetur Rohdei[3] sententia: *Nicht die Toten, sondern die Gräber bekränzte man gern mit σέλινον, Eppich.*

Sed apium quoque fuisse coronamentum mortuorum testis est Plutarchus Timol. 26: *Καὶ τοῖς στρατιώταις εἰσῆλθε πονηρὸν εἶναι τὸ σημεῖον ὅτι τὰ μνήματα τῶν νεκρῶν εἰώθαμεν ἐπιεικῶς στεφανοῦν σελίνοις. Καὶ παροιμία τις ἐκ τούτου γέγονεν, τὸν ἐπισφαλῶς νοσοῦντα δεῖσθαι τοῦτον τοῦ σελίνου.* Atque coronae apud Kertsch repertae ex apii foliis nexae sunt[4]. Quibus plantis semper virentibus accedunt illae, quae praematura fronde aut vivacitate egregia praeditae sunt.

In pampineis quidem ramis, quibus in lustrationibus ute-

---

[1] Cf. Rohde *Ps.* I⁵ 226, 3; Wächter l. c. 44.

[2] Gerhard *Akad. Abhlg.* 13. [3] Rohde *Ps.* I⁵ 220, 2.

[4] Cf. Stephani *Compte-rendu* 1875, 26; Pleyte *La couronne de la justification* (*Actes du congrès international des Oriental.* VI 4, Leiden 1885, 12) haec folia esse oleaginea censet; v. etiam Hesseling l. c. 42.

bantur[1] veteres, Athenis mortuus ponebatur[2]. Qua de planta explicat Artemidorus Oneir. V 39: *Ἡ δὲ ἄμπελος θανάτου σημεῖον ἦν . . . διὰ τὸ γῆθεν φύεσθαι (εἰς γῆν δὲ καὶ τὰ σώματα ἀναλύεται) καὶ ὅτι ἐν τῷ ἀκμαιοτάτῳ τῆς ὥρας τοῦ καρποῦ στερίσκεται ἡ ἄμπελος.* Fredrich (l. c. 86 adn. 69) profert rationem hanc: *Ein Grund für diese sühnende, apotropaeische, sepulcrale Bedeutung liegt jedenfalls in seinem Bezug zum Dionysos, der ja chthonischer Gott ist*[3].

Denique ramos salicis ad coronamentum mortuorum adhibuisse veteres docent illae coronae, quas Watzinger (l. c. nr. 6, nr. 10) compluribus ex tumulis effodit. Quo loco non omittam demonstrasse apud Watzingerum in arca decima coronam et in capite et iuxta mortuum positam esse. Nostra quoque aetate ramos salicis aut in arcis aut in tumulis inveniri Mannhardt probavit (*W. F. K.* I 291).

Iam satis apparet re vera omnes fere flores vel plantas in caerimoniis funebribus usitatos esse apud veteres. Itaque plerumque coronae solum memorantur neque plantae nominatae sunt, velut apud Plut. Pericl. 172; Pelop. 296; Cleom. 807. Itaque consentaneum est, ut recte quidem Lucianus (de luctu 11) profert, morem fuisse mortuos ornari *τοῖς ὡραίοις ἄνθεσιν.*

Age nunc quaeramus, qua ratione hunc morem coronandi observaverint veteres. Causam veram scriptores ipsi vix reddunt.

Ex lege duodecim tabularum coronas mortuorum ad honorem spectare colligi potest. Quae lex more coronandi mortuos Romae invalescente imperavit (Cic. de leg. II 60), 'ne sumptuosa respersio, ne longae coronae, ne acerrae praetereantur. Illa iam significatio est laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam et ei, qui peperisset, et eius parenti sine fraude esse lex impositam iubet'. Alii mortuos coronari putabant, quod certamen vitae

[1] V. Anrich *Das antike Mysterienwesen*, Göttingen 1894, 102, 2.

[2] Cf. Aristoph. Eccl. 1031; Rohde *Ps.* I[5] 219, 2; de consuetudine in provincia Rhenania usitata sanctorum statuas coronandi frondibus pampineis v. Usener *Tychon* 1907, 20; 37.

[3] Cf. Preller-Robert *Gr. Myth.* I 710 sq.; Rohde *Ps.* II[5] 6, 2.

transegissent. Schol. Ar. Lys. 601: *Στέφανος ἐδίδοτο τοῖς νεκροῖς ὡς τὸν βίον διηγωνισμένοις.* Suidas s. v. *μελιτοῦττα . . . ἰστέον ὅτι ἡ μελιτοῦττα ἐδίδοτο τοῖς νεκροῖς, ὡς εἰς τὸν Κέρβερον, καὶ ὀβολὸς μισθὸς τῷ πορθμεῖ, καὶ στέφανος ὡς τὸν βίον διηγωνισμένοις.*

Scriptores autem Christiani, cum omnem coronarum usum damnaverint, de coronis quidem funebribus proferunt haec: Clem. Alex. Paed. II cap. 8 p. 202 Staehlin: *Ταύτῃ καὶ τοὺς νεκροὺς στεφανοῦσιν· ᾧ λόγῳ καὶ τὰ εἴδωλα, ἔργῳ προσμαρτυροῦντες αὐτοῖς τὸ εἶναι νεκροῖς.* Tert. de coron. mil. X b: 'Quid enim tam indignum Deo, quam quod dignum idolo? quid autem tam dignum idolo, quam quod et mortuo? Nam et mortuorum est ita coronari: quoniam et ipsi idola statim fiunt et habitu et cultu consecrationis, quae apud nos secunda idolatria est'. Min. Felix Octav. cap. 38: 'Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis examini facem, aut non sentienti coronam, cum et beatus non egeat et miser non gaudeat floribus'.

Qui loci, cum coronationem mortuorum ad ritum consecrationis spectasse doceant, verae rationis vestigium indicare videntur.

Duabus imprimis de causis mortuos ornabant homines superstitiosi. Partim id fecisse homines religiosos constat eo consilio, ut mortuum ipsum remediis magicis contra daemones malignos afficerent, partim ut mortis daemonem pacarent et mala a se averterent.

Primum quidem coronam mortui habuisse vim apotropaeam putamus [1]. Quod verum esse ex illis stratis, in quibus mortuus ponebatur, colligi potest. Sic de origano, in quo Athenis mortuus collocari solebat, multa quidem exempla proferens, quibus plantae vis apotropaea illustratur, dicit Rohde (*Ps.* I[5] 219, 1): *So ist auch Origanon an der Leiche ein kathartisches d. h. unterirdische Geister*

[1] Caerimoniarum funebrium apud veteres similes sunt Indorum ritus. Quorum de ornamento mortuorum exhibet Hillebrandt (Bühler *Grundriss d. Indo-Arischen Philol. u. Altertumsk.* III 2, 1897, 87): *Sie schneiden Haupthaar, Bart, Körperhaare und Nägel ab, salben den Toten mit Narde, [und] setzen ihm einen Kranz von Narde aufs Haupt.* Cf. etiam Oldenberg *R. d. Veda* 572.

verscheuchendes Mittel. Eadem ratione ceteris quoque plantis ad stratum vel coronamentum mortuorum adhibitis utebantur veteres, ut ornamenta alia una cum coronis in sepulcris inventa probant. Sic Watzinger (l. c. 61) imaginem Gorgonis '*das auf den äußeren Leinwandbinden einer Mumie und zwar auf deren Brust befestigt war*' invenit, cui imagini vim apotropaeam attribuebant homines superstitiosi maximam, ut supra (21) vidimus. Vim apotropaeam etiam habere velamentum rubrum[1] putabant veteres, quo Lacedaemonii praeter coronam ornabant mortuum[2]. Huc spectant *μελιτοῦττα* quoque illa et obolus, quibus et Cerberum placarent et pro Charontis vectura solverent, ut Suidas[3] rectissime iudicat. Sed qua de causa coronis mortuos ornaverint, non recte interpretatur Suidas. Nam ille *στέφανος* mortuis dabatur, ut similiter sit remedio contra daemones malignos[4].

Vim ramorum vitalem, quae omnibus in coronis viget, in mortuorum cultu fuisse malorum amolimentum ostendit ille ramus, quem Aeneas gestavit, cum penetraret ad inferos. Optime autem haec illustrantur exemplo ex Arabum ritu funebri prolato. In illo enim libro, qui *Hadit* inscribitur, Goldzihero auctore scriptum videmus[5]: *Der Prophet ging einmal vor Grabstätten vorüber und glaubte jammernde Menschenstimmen herauszuhören; er sagte, es wären zwei Menschen, die kleinerer Sünden wegen die Grabesqualen erleiden. Darauf nahm er einen frischen Palmenzweig*[6]*, brach ihn in zwei Hälften, und steckte jede derselben auf je ein Grab. Er erklärte die Handlung mit den Worten: Vielleicht wird ihnen Gott Erleichterung schenken, solange diese Zweighälften noch nicht ausgetrocknet sind.* Addit

---

[1] De coloris rubri vi v. supra 10, 6. [2] V. supra 50.

[3] V. supra 52; Hermann-Blümner *Gr. Ant.* IV 3, 508; Schrader *Totenhochzeit*, Jena 1904, 2.

[4] Apud Indos in manibus mortuorum renes ponebantur, '*damit er* (mortuus quisque) *sie den beiden Jungen der Hündin Jaramâ in den Rachen werfe, sodass sie den Abgeschiedenen unverletzt in das Totenreich eingehen lassen*'. Sartori *Speisung d. Toten*, Progr. Dortmund 1903, 13. Apud eandem gentem in mortui ornati corpore tota sus et cibi terra geniti ponebantur '*als Mitgift zur Zulassung*': Sartori l. c. 13; Oldenberg *Religion des Veda* 577. [5] Goldziher *Arch. Rel.* XIII 1910, 42.

[6] De palmarum usu apotropaeo cf. Franz *Kirchl. Benediktionen* I 481 sqq.

rectissime ille vir doctissimus interpretationem hanc: *Es wird also von dem saftigen Palmzweig eine Einwirkung auf den Zustand der Verstorbenen erwartet. In der islamischen Darstellung erhält die Erzählung eine Beziehung zu den Qualen, die die sündigen Menschen im Grabe von den Plageengeln erleiden. Von diesen Qualen sollen die saftigen Palmzweige Erlösung gewähren. Dies ist islamische Umdeutung der alten Vorstellung, daß das feuchte Element Schutz vor den bösen Geistern bietet; einen Schutz, dessen auch die Verstorbenen bedürfen*[1].

Facile intellegitur hanc interpretationem ad coronarum usum quadrare, nam id, quod Goldziher vocat '*das feuchte Element*', est vis ramorum vitalis.

Denique non omittam commemorasse hodie quoque corpus Christianorum secundum ritum ecclesiae catholicae aqua benedicta aspergi, 'ut omnis immundorum spirituum praesentia arceatur'[2]. Eadem de causa carbones, tura, vas aquae benedictae plenum in arca mortui ponuntur.

Accedebat mox altera ratio, quam secuti mortuos coronabant atque in arcis eorum varias res ponebant homines religiosi. Timebant enim, ne daemon mortis sibi nocere possit[3]. Scheftelowitz (l. c. 21 sqq.) testimoniis ex multarum gentium historia prolatis docet homines superstitiosos corpus mortui vinculis filisque variis circumdare, ut mortuum reditu prohibeant.

---

[1] Similem ramorum palmae usum docet imago quaedam Saggarah in urbe inventa, quem describit Wächter (l. c. 43, 4): *Die Mumie steht am Eingange des Grabes; die Frauen springen und reissen sich die Haare aus, die Männer laufen umher und schwingen Zweige, um böse Geister zu vertreiben; es sind Palmwedel, die bei dieser Gelegenheit zur Verwendung zu kommen pflegen . . . . diese Sitte ist auf die modernen Araber übergegangen, die gleichfalls mit Palmzweigen schlagend die Leiche begleiten.*

[2] Schüch *Pastoraltheologie* 857; de aquae vi mala propulsandi cf. Schenk *Die Sinnbilder der alten Völker*, Frankfurt a. M. 1851, 502 sqq.; Pfannenschmid *Das Weihwasser*, Hannover 1869; Goldziher *Arch. Rel.* XIII 1910, 20 sqq.; Franz *Kirchl. Benediktionen* 50 sqq. et passim.

[3] Qua ex ratione apud nonnullas gentes Australiae atque Americae corpus mortui ramis frondeis obtectum ad summum tabulati exstructi alligatur. V. Rascher *Arch. f. Anthr. N. F.* I 1904, 215; Nilsson *Primitive Religion, Religionsgesch. Volksbücher* 13/14, 1911, 61.

Corpus mortui *'tabu'* erat initio atque ita plenum virium inimicarum. Cui periculo omnia obnoxia erant, quae mortui fuerant itemque, qui mortui corpus tetigerunt. Cuius *'tabu'* avertendi causa i. e. daemonis mortis placandi causa variis ritibus magicis utebantur homines superstitiosi.

Optime haec illustrantur more apud gentem cultu inferiorem usitato. Apud Bari gentem Preussio[1] auctore viget de bestia occisa consuetudo haec: *Der Bari bläst das Tier von oben bis unten an, beklopft es von allen Seiten, bespritzt es mit Speichel, spritzt und schreit in das geöffnete Maul hinein, das dann wieder geschlossen wird.* Quod explicat Preuss: *Da Krankheit und Tod eines Jägers bei diesem Volke als Racheakte getöteter Tiere gelten, so ist die ursprüngliche Anschauung des tödlichen Zaubers, der von dem toten Tiere ausgeht und natürlich den Jäger trifft, zweifellos. Der Hauch*[2] *und die anderen Gegenmittel beseitigen aber die drohende Gefahr.*

Propterea mortuis omnia dantur, quae sunt ad vivendum necessaria quibusque gaudet mortuus.

In veterum sepulcris fructus omnis generis inventi sunt ut nuces, melones, castanea, glandes, nuclei oleaginei, alii, quae partim in pateris collocata, partim undique circum corpus mortui dispersa erant[3]. De his additamentis Watzinger (l. c. 23) iudicat sic: *Als Symbole der Fruchtbarkeit und der durch den Samen bedingten Fortpflanzung werden sie den Seelen dargebracht, die beides im Jenseits entbehren müssen.* Eadem de causa ova in mortuorum cultu magna auctoritate fuisse Nilsson[4] fusius explicavit. Item sanguis 'non casu neque fortuito' in ritibus funebribus locum obtinebat, quoniam sanguis pro re ad vivendum maxime necessaria habebatur[5].

Qua deliberatione adductos esse veteres, ut in arcis mortuorum ramos et coronas ponerent[6], quis est, qui neget? Dignus est, qui memoretur, rami usus in cultu mortuorum apud

---

[1] Preuß *Globus* 86, 375.

[2] De spiritus vi cf. Preuß *Globus* 86, 361.

[3] Cf. *Compte-Rendu* 1860 tab. IV; 1882, 12; Fredrich l. c. adn. 69; Watzinger l. c. 23; Poulsen l. c. 32; Rohde *Ps.* I[5] 226, 3.

[4] Nilsson *Arch. Rel.* XI 1908, 530sqq.

[5] V. Fahz l. c. 46. [6] Cf. Watzinger Nr. 15; Fredrich l. c. 86.

Rumaenos. Sartori (*Speis. d. Toten* 13, 3) haec habet: *Hier ist für die Bestattung u. a. ein schöner Baumzweig herzurichten, der von den Ästen befreit und mit Früchten und Naschwerk nach Art des Christbaumes geschmückt wird; dieser Zweig wird der Seele auf der Reise von großem Nutzen sein, denn sie wird unter seinem kühlen Schatten ausruhen und von seinen Früchten essen können.* Non minus mortuo coronis opus esse ex eo colligi potest, quod eadem in mortui arca vel tumulo non una sed duo[1] et complures[2] coronae inventae sunt. Quae coronae munera erant sacra daemoni mortis oblata.

Imprimis religione Orphicorum praescriptum erat, ut mortuus corona esset ornatus, velut[3] in inscriptione Atheniensi exhibetur: *Ἐὰν δέ τις τελευτήσ|ηι Ἰόβακχος, γεινέσθω στέφανος αὐ|τῶι μέχ(ρ)ι ✳ε΄*. Inscriptio Atheniensis (Kaibel 153) est: *Στέμμα δέ [μοι πλέξαντο] Διωνύσου θιασῶται.*

Coronae enim mystis dabantur, quod beatos in inferis omnium voluptatum participes convivia sacra facturos esse opinio erat Orphica[4]. Plato Respubl. p. 363 C: *Εἰς Ἅιδου γὰρ ἀγαγόντες τῷ λόγῳ καὶ κατακλίναντες καὶ συμπόσιον τῶν ὁσίων κατασκευάσαντες ἐστεφανωμένους ποιοῦσι τὸν ἅπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας.* Aristoph. Tagenistae fr. 488 K.: *Οὐδὲ γὰρ ἂν ἀποθανόντες ἐστεφανωμένοι προὐκείμεθ' οὐδὲ βακκάρει κεχρίμενοι, εἰ μὴ καταβάντας εὐθέως πίνειν ἔδει.* Quocum comparetur patera Cyrenaica sexto a. Chr. n. saeculo facta, quae nunc Lutetiae Parisiorum conservatur[5]. In interiore enim parte paterae quinque viros in lectis recumbentes videmus, ex quibus uni puer dextra manu cyathum tenens sinistra elata coronam obtendit, cum ad reliquos duo iuvenes alis exornati duaeque aves humanis capitibus et lacertis praeditae omnes altera manu coronam, altera loti florem gestantes advolant.

Quibus ex diversis[6] causis mos coronandi mortuos ortus

[1] V. Watzinger l. c. Nr. 10.

[2] Cf. *Journ. Hell. Stud.* XX 1900, 20sqq.

[3] Maaß *Orpheus*, München 1895, 30 v. 160.

[4] Cf. Rohde *Ps.* II[5] 129; de monumentis ad mortuorum convivia spectantibus Fritze *Athen. Mitt.* XXI 1896, 354sqq.; Weicker *Der Seelenvogel*, Lpzg. 1902, 14, 3.

[5] V. *Bull. de corresp. hell.* 1893, 238 fg. 6; Weicker *Seelenvogel* 14 fg. 9.

[6] Ne quid omittatur, longe aliae rationis ornandi mortuos mentionem

mox erat ritus tantum consecrationis, qua omnem rem sacram afficiebant veteres.

Ad mortuos comburendos iisdem arborum ramis utebantur veteres, quibus eos ornabant. Quam ad consuetudinem veteres eodem consilio perductos esse, ut daemones maligni arceantur, puto. Exemplum huius rei notissimum Vergilius praebet, qui de Miseni funere Aen. VI 214 sqq. fusius loquitur: 'Principio pinguem taedis et robore secto | ingentem instruxere pyram, cui frondibus atris | intexunt latera et feralis ante cupressos [1] | constituunt, decorantque super fulgentibus armis'. Deinde membra vestibus purpureis induta in rogum imponunt et 'subiectam more parentum aversi facem' [2] subdunt. Postquam flamma quievit, ossa lecta cado aëneo condunt; viros autem pura unda 'spargens rore levi et ramo felicis olivae' [3] lustrat

---

facio. Apud nonnullas gentes cultu inferiores opinio est totam familiam ex bestia quadam, quae '*Totemtier*' nominatur, ortam esse. Quod ad animal transire mortui animam illi homines religiosi putant. Propterea apud *Buffalo* gentem corpus mortui in bovis pellem insuitur; cf. Kohler *Der Ursprung der Melusinensage*, Lpzg. 1895, 39. Item ad plantam mortui anima transire potest. Cuius opinionis exemplum illustrissimum ex memoria *der Wotjaken*, incolarum Scandinaviae, affert Sartori *Speisung d. Toten* 35. Agitur de sacrificio principi multis annis post mortem facto: *Der verstorbene Häuptling nimmt symbolisch daran teil. Ein paar Baumzweige werden als seine Vertreter angesehen, und mit diesen wird jedes Stück berührt, bevor die Güste es verzehren.* Ac fabularum, in quibus animae mortuorum ad arbores aut ad plantas transisse narrantur, quis ex memoria veterum (cf. Murr. passim) aliarumque gentium (Pfannenschmid *Germ. Erntefeste*, Hannover 1878, 434; Kohler l. c. 42 e adn. 3) non meminerit? Tamen omnibus his argumentis veterum quidem morem coronandi mortuos sertis et ponendi corpus in stratis frondeis explicare non licere videtur, cum religio mortuorum animas ad alia corpora aut ad alias res transire numquam ex Graecorum Romanorumque memoria aperte eluceat (Rohde *Ps.* II[5] 386; Gomperz *Gr. Denker* I 100 sq.; Poulson *Dipylongr.* 7).

[1] De cuparisso v. Olck *PW* IV[2] 1932 sqq. s. v. '*Cypresse*'.

[2] Faces saepius prope mortui lectum collocabantur, ut daemones malignos propulsarent, cf. Vassits *Die Fackel*, Diss. Monac. 1910, imprimis 80 sqq.; Wächter l. c. 44, 1.

[3] Servius ad h. l.: 'sed moris fuerat, ut de lauro fieret'; quod non probamus, nam ramus oleagineus eodem ritu usitabatur; cf. Diels *Sib. Bl.* 121; Norden ad Aen. VI 230; Pfannenschmid *Weihwasser* 33; Sartori *Handb. z. Volksk.* V 136 et adn. 44.

Aeneas. De coronae usu cf. Aelianum v. h. V 6: *Καλανὸς ὁ Ἰνδῶν σοφιστὴς μακρὰ χαίρειν φράσας Ἀλεξάνδρῳ καὶ Μακεδόσι καὶ τῷ βίῳ, ὅτε ἐβουλήθη ἀπολῦσαι αὐτὸν ἐκ τῶν τοῦ σώματος δεσμῶν, ἐνένητο μὲν ἡ πυρὰ ἐν τῷ καλλίστῳ προαστείῳ τῆς Βαβυλῶνος, καὶ ἦν τὰ ξύλα αὖα καὶ πρὸς εἰωθίαν εὖ μάλα ἐπίλεκτα κέδρου καὶ θύου καὶ κυπαρίττου καὶ μυρσίνης καὶ δάφνης, αὐτὸς δὲ γυμνασάμενος γυμνάσιον τὸ εἰωθός (ἦν δὲ αὐτὸ δρόμος) ἀνελθὼν ἐπὶ μέσης τῆς πυρᾶς ἕστη ἐστεφανωμένος καλάμου κόμῃ.*

Recte igitur Thomas Brown[1] cognovit *that among the ancient, the funeral prye consists of sweet fuel, cupresse, firre, larix, Yewe and trees perpetually verdant*[2].

Ossibus et cinere mortui collectis etiam urnam, qua condebantur reliquiae, coronis infulisque tamquam rem sacram ornabant veteres. Sic apud Plutarchum (Philopoem. 21) Philopoemenis urna, quam Polybius portabat, illis ornamentis abundabat. Similiter ossa pannis obvoluta, quae effossa sunt, corona erant redimita[3].

Arcas mortuorum sertis ornatas fuisse, in quibus praestant ornamenta pampinea hederaceaque, cum sint propter naturam imprimis idonea, Fredrich (l. c. adn. 69; 181) et Watzinger (l. c. 49 nr. 30) exemplis demonstraverunt. Atque 'domus funestae' ipsae frondibus cupressi 'velabantur' et apud Graecos et apud Romanos; cf. Serv. ad Verg. Aen. III 681; III 64; IV 507. Quae consuetudo initio propter huius plantae vim apotropaeam viguisse videtur[4]. Postea hoc faciebant veteres eo quidem consilio, ut caverent homines superstitiosi illius domus impuritatem[5].

---

[1] *Hydriotaphia, Urne-Buriale* 50 apud Brand-Ellis *Observations* II 163 (sic Pfannenschmid *Weihwasser* 53 adnotatione, quem ego sequor).

[2] De plantis, quas Germani ad rogum adhibebant, Pfannenschmid (*Weihwasser* 53) habet haec: *Gleichwohl muss ich hervorheben, dass man beim Verbrennen* (sc. mortuorum) *sich namentlich verschiedener Dornarten bediente, darunter des Hagedorn, Weissdorn und Zaundorn, die dem die Leichen weihenden Gotte Donar geheiligt waren. Als man ausschliesslich zum Begraben überging, verlor der Dorn seine frühere Bedeutung, aber man pflanzte ihn nunmehr auf den Grabhügel, oder vielmehr man behielt diese alte immer geübte Sitte bei.*

[3] Cf. *Athen. Mitt.* 1893, 185.

[4] Cf. Wächter l. c. 45, 1.

[5] V. Rohde *Ps.* I[5] 220, 1.

Quae initio mortuis ipsis dabantur, postea in eorum tumulis ponebantur. Ac primum quidem coronas in sacris, quae mortuis instituebant veteres, usitatas fuisse optime Aeschylus in tragoedia Persarum docet. Praeter alia enim ad sacrificium Dareo mortuo factum oleae fructus et coronas floreas adhiberi Atossa iubet: v. 616 sqq.: *Τῆς τ' αἰὲν ἐν φύλλοισι θαλλούσης βίον | ξανθῆς ἐλαίας καρπὸς εὐώδης πάρα, | ἄνθη τε πλεκτά, παμφόρου γαίας τέκνα.*

Monumenta deinde sepulcralia coronis erant ornata. Cuius moris exstant testes permulti, quos omnes nominatim afferre longum est[1]. Exemplum illustrissimum Petronius praebet. In cena enim Trimalchionis (cap. 71) Trimalchionem in testamento suo ad Habinnam dicentem videmus: 'Valde te rogo, ut secundum pedes statuae meae (i. e. sepulcralis) catellam ponas et coronas et unguenta et Petraitis omnes pugnas, ut mihi contingat tuo beneficio post mortem vivere'.

Monumentis sepulcralibus imperatorum aetate exstructis, in quibus imagines coronis ornatae insculptae sunt, eadem ratio saepius probatur[2]. Omnes enim hae imagines ante oculos nobis ponere videntur, quomodo vitam post mortem fore veteres speraverint.

Coronatio autem sepulcrorum non solum ad propinquorum pietatem spectat, sed etiam eo ritu mortuum ipsum se venerari putabant veteres. Quod docent coronae monumentis sepulcralibus insculptae, in quibus nomina eorum inscripta sunt[3], qui mortuo illa praemia attribuerunt, velut CIG 3098 sex coronas exhibet, quas dederunt *ὁ δῆμος, ἡ βουλή, ἡ γερουσία, οἱ ἱεροποιοί, οἱ νέοι, οἱ ἔφηβοι.*

Non multo post Christum natum rationis pristinae obliti erant coronationis. Sic Lucianus (de luctu 19 p. 931) recte interrogat: *τί δὲ ὁ ὑπὲρ τοῦ τάφου λίθος ἐστεφανωμένος;* Quocum aptissime comparat Hesseling (l. c. 49) CIG 6298 inscriptionem imperatorum quidem aetatis Romae inventam: *Μὴ μύρα, μὴ στεφάνους λιθίναις στήλαισι χαρίζου | μηδὲ τὸ πῦρ φλέξῃς*

[1] V. Schmeizel l. c. 49 sq.; Hesseling l. c. 45 sq.; Mannhardt *W. F. K.* II 22; aliosve viros doctos.

[2] Multa exempla collegit Schröder *Bonner Jahrbb.* 1902, 46 sqq.

[3] Cf. Hesseling l. c. 49.

ἐς κενὸν ἡ δαπάνη· | ζῶντί μοι, εἴ τι θέλεις, χάρισαι· v. Anth. Pal. 11, 8.

Quotannis uno die saltem — aut mortis aut mortui natali die — tumulos coronare officium pium erat propinquorum. Tibull. II 4, 47 sqq.: 'Atque aliquis senior veteres veneratus amores | annua constructo serta dabit tumulo | et 'bene' discedens dicet 'placideque quiescas, | terraque securae sit super ossa levis'. Sueton. Nero 57: 'Et tamen non defuerunt qui per longum tempus vernis aestivisque floribus tumulum eius ornarent'. E lapidum quoque testimoniis facile cognoscitur multos testamentis cavisse, ne sepulcra sua coronis carerent[1]. Pecunia enim a testatore destinabatur, qua sumptus, qui in tumulorum coronas impendebantur, solverentur. Ex quo haec pecunia *τὸ στεφανωτικόν* vocabatur.

Denique ad mortuorum venerationem spectat usus serendi plantas arboresque in mortui tumulo. Cuius apud veteres auctoritatem permultis testimoniis Lenz (l. c. 181 sqq.) et Boetticher (*B. K.* 282 sqq.) confirmaverunt. Quo ex more luci ipsi populorum, ulmorum, cupressorum et horti myrtorum, rosarum, aliorum florum orti sunt. Plato (de leg. XII 947 E) lucos in tumulis seri iussit; et vae illi misero, qui haec *ἱερά* violaverit (Aelian. v. h. V 17). Quo factum esse, ut animas mortuorum ad has arbores transferri putarent veteres, quis miratur[2]? Et recte quidem intellexit Hock (l. c. 17) harum arborum in veneratione superstitionem, quam '*Fetischismus*' vocamus, et mortuorum cultum inter se contigisse.

Coronis Christianorum quoque sepulcra, quamquam scriptores Christiani, ut supra (52 sq.) vidimus, vehementer hanc consuetudinem castigaverunt, saepissime erant ornata. Quod explicat Detzel[3]: *Der Kranz als altchristliches Symbol sehr zahlreich auf Grabsteinen und religiösen Gegenständen aller Art, bedeutet Sieg über Tod und Satan, vielleicht Priestertum des Hin-*

---

[1] Tales inscriptiones invenies apud Hesseling l. c. 46 sqq.; Perdrizet *Bull. Corresp. Hellen.* XXIV 1900, 299 sqq.; Mendel *B. C. H.* XXIV 1900, 404.

[2] Cf. 56, 6; *Zu den Wurzeln der Pflanzen schlüpfen die Väter ein*: Indorum opinio est, Oldenberg *Rel. d. V.* 582; cf. 580, 3; 581, 2.

[3] H. Detzel *Christl. Ikonographie*, Freiburg i. B., I 1894, 26.

geschiedenen. Quam ob causam sanctorum martyrumque imprimis sepulcra hoc ornamento tegebantur[1].

Caerimoniae sacrae etiam ritus, quibus nuptias parabant veteres, putabantur[2]. Consentaneum igitur est coronarum usum hoc die magna fuisse auctoritate. Die enim nuptiarum homines superstitiosi daemonum incursiones praecipue timebant[3]. Ex rituum multitudine, quam ex memoria veterum aliarumque gentium Samter[4] et Sartori[5] collegerunt et explicaverunt, eorum mentionem faciam, quibus ad interpretationem coronarum nuptialium opus est[6].

Ex sponsorum coronationis testimoniis apud veteres profero haec[7]: Eurip. Iphig. Aul. 905 sq. Clytaemestra Achillem his verbis alloquitur: *Ἀλλ' ὅμως | σοὶ καταστέψασ' ἐγώ νιν ἦγον ὡς γαμουμένην*; Aristoph. av. 159 sqq.:

Epops. *νεμόμεσθα δ' ἐν κήποις τὰ λευκὰ σήσαμα | καὶ μύρτα καὶ μήκωνα καὶ σισύμβρια.*

Euelp. *ὑμεῖς μὲν ἆρα ζῆτε νυμφίων βίον.*

Schol. *σισύμβρια· φύλλα τινὰ οἷς στεφανοῦνται οἱ νυμφίοι.* Id. *νυμφίων βίον· Ἢ ὅτι οἱ γαμοῦντες στεφανοῦνται, ἢ ὅτι ἡδυπαθοῦσι πρὸς τὰς τῶν γάμων ἡμέρας.* Plutarch. coni. praecept. 2 p. 138 D: *Ἐν Βοιωτίᾳ τὴν νύμφην κατακαλύψαντες ἀσφαραγωνιᾷ*[8] *στεφανοῦσιν.* Bion. Epit. Ad. I 88: *Καὶ στέφος*

---

[1] Lucius *Die Anfänge d. Heiligenkultes*, Tübingen 1904, 291.

[2] Fustel de Coulanges l. c. 42 sq.; Klein l. c. 34 sqq.

[3] Reinach *Cultes* II 112; Oldenberg *Rel. d. Veda* 462; de vinculorum usu apotropaeo in ritibus nuptialibus v. Scheftelowitz l. c. 52 sqq.

[4] Samter *Geb., Hochzeit, Tod* passim.

[5] Sartori *Hdb. z. Volksk.* V 60 sqq.

[6] De caerimoniis nuptialibus nostra aetate apud Graecos usitatis cf. Wachsmuth *Das alte Griechenland im neuen*, Bonn 1864, 81 sqq.; G. Meyer *Essays u. Studien* II 1893, 132 sqq.; N. G. Politis *Γαμήλια σύμβολα, Ἐπιστημονικὴ ἐπετηρίς*, Athen 1906, 111 sqq.; *Λαογραφία* I Athen 1909, 308 sqq.; II 1910, 48 sqq.; 432 sqq.

[7] Cf. Paschalius l. c. 126 sqq.; Schmeizel l. c. 32 sqq.; Mader l. c. 29 sqq.; Becker *Charikl.* III 375; Hermann-Blümner *Gr. Privataltert.* 272, 3; Roßbach *Untersuchungen über d. röm. Ehe*, Stuttgart 1853, 242 sq.; Marquardt-Mommsen *Privatleben d. Römer* I² 47; Hesseling l. c. 35 sq.; Monumenta huc spectantia collegerunt Roßbach l. c. cap. IX 376 sqq.; Helbig *Ann. d. Inst.* XXXVIII 1866, 454 sqq.; Brückner *Athen. Mitt.* 1907, tab. V 2, 8 IX; Klein l. c. 34 sqq.

[8] De asparagi vi cf. Aigremont l. c. I 146 sq.

ἐξεπάτασσε γαμήλιον. Pollux III 43: *Καλοῦνται δὲ καὶ δᾷδες νυμφικαὶ καὶ στέφανος καὶ στολή.* Festus s. v. corolla (p. 63 M·): 'Corolla deminutivum est a corona. Corollam nova nupta de floribus, verbenis herbisque a se lectis sub amiculo [1] ferebat'. Apoll. Sidon. epith. Polem. et Araneol. v. 197 sq.: 'Amborum tum diva comas viridantes oliva | pace ligat, nectit dextras ac foedera mandat'.

Ex his testimoniis apparet variis plantis ad coronam nuptialem veteres usos esse, quamquam ea corona ex myrti ramis, cum esset Veneris planta, plerumque nectebatur.

Item exemplis prolatis docemur et sponsam et sponsum coronis redimitos fuisse.

Ac primum quidem coronam nuptialem habere vim apotropaeam puto i. e. sponsorum coronam fuisse amuletum, quo daemones maligni arcerentur. Quod verum esse imprimis inde colligitur, quod Festus docet coronam sponsae et ex verbenis, quibus vim magicam inesse veteres putasse supra vidimus (34), et ex herbis a sponsa ipsa lectis, quo ritu vis herbarum magica augebatur, nexam esse.

Qua ratione veteres adducti sint, ut sponsos coronarent, exemplis etiam ex historia aliarum gentium sumptis illustrare possumus.

Apud Indos sponsa floribus quidem et circa collum et circa caput ligatis ornabatur, qui *Pushpamàla* et *Turlarsimàla* vocabantur, ac sponsus ipse sponsam floribus *Madhukablüten* vocatis coronare solebat [2]. Quem ad morem adnotat Zachariae [3]: *Das Umbinden von Amuletten ist zwar keine Haupthandluny im indischen Hochzeitsritual aber dennoch nicht unwichtig.* Quocum etiam compares illas precationes, quibus Indi sponsam ab omnibus malis tueri putabantur [4].

Nostratium quoque more sponsa corona vel ex roris marini vel ex myrti ramis nexa coronatur; sponsus plerumque fa-

---

[1] Cf. schol. Iuv. VI 225; Samter *Familienf.* 47 sqq.; Sartori *Hdb. z. Volksk.* V 78, 2; Pley l. c. 43 sqq.

[2] Fra Paolino da San Bartolomeo *Reise nach Ostindien, deutsch von Forster*, Berlin 1798, 280; Hillebrandt *Bühlers Grundr.* III 2, 65; Zachariae *Wien. Zeitsch. f. die Kunde d. Morgenl.* XVII 1903, 218, 4.

[3] Zachariae l. c. 218, 4. [4] Fra Paolino l. c. 280.

sciculum tantum florum gestat. Vis autem plantarum in ritibus nuptiarum usitatarum apotropaea optime eo declaratur, quod interdum in calceo ipso sponsae planta magica invenitur, *die zur Teufelsabwehr dient*[1].

Huc etiam spectat ritus *φυλλοβολίας* apud veteres usitatus. Stesichoro quidem auctore apud Athenaeum III 81 D traditum videmus: *πολλὰ μὲν κυδώνια μᾶλα ποτερρίπτουν ποτὶ δίφρον ἄνακτι, | πολλὰ δὲ μύρσινα φύλλα | καὶ ῥοδίνους στεφάνους ἴων τε κορωνίθας αὔλας*[2]. Quem morem hodie quoque Creta in insula vigere Wachsmuth demonstravit[3].

Qua coronarum vi apotropaea sponsis veteribus opus erat, cum nuptiae ipsae ritus religiosus putarentur, quo sponsi sese deis domesticis dedicabant[4]. Ex hac etiam opinione colligere possumus praeter materiae vim apotropaeam vel lustrantem permultum valuisse auctoritatem consecrationis, quae inest ritui coronandi ipsi[5].

Neque solum sponsus sponsaque coronam gestabant, sed etiam omnes, qui caerimoniis nuptialibus intererant, similiter ac in sacrificiis praeter sacerdotem victimamque omnes circumstantes coronati erant. Plut. amat. 771 E: *Καὶ νῦν ἐκὼν στέφανον καὶ λευκὸν ἱμάτιον λαβὼν οἷός ἐστιν ἡγεῖσθαι δι' ἀγορᾶς πρὸς τὸν θεόν.*

Affines et domestici omnesque convivae initio aderant, ut mala averterent[6]. Itaque eorum quoque coronae remedia

---

[1] Dignus est, qui memoretur, coronae usus superstitiosus apud Leucadios nostra quidem aetate vigens. In domus enim nuptialis limine praeter vomerum coronam ferro albo factam collocant, per quam sponsam coronatam transire necesse est. Eusth. G. Politis *Λαογραφία* I 1909, 316.

[2] Cf. Hauler, Xenia Austriaca, Wien 1893, 119 sqq.

[3] Wachsmuth *Das alte Griechenl. im neuen*, 90, 44: *In Kreta ist es Sitte, dass* [coronatio in ecclesia fit] *nach den Worten δόξῃ καὶ τιμῇ στεφάνωσον αὐτούς das Brautpaar mit Myrtenblättern, Limonen und Baumwollsamen überschüttet wird.*

[4] Cf. etiam morem Borussorum: *Vor dem Abgange ins Brautbett schnitt man ihr* (i. e. sponsae) *die Haarlocken ab und die Frauen setzten ihr einen Kranz mit weissen Tuch auf* (Tetzner *Die Slawen in Deutschland*, Braunschweig 1902, 22); de consecratione capillorum v. supra 44 sq.

[5] Cf. supra 9 sqq.

[6] Sartori *Handb. z. Volksk.* 83: *Auch die Begleiter tun das ihrige, um Zauber und Unheil abzuwehren.*

erant contra daemones malignos. Quod illustratur ceteris caerimoniis religiosis. Sub noctem enim tibiis[1] sonantibus magnaque cum turba taedas[2] gestante sponsus sponsam ad domum abducere solebat. Atque puer patrimus corona ex spineis querneisque ramis contexta ornatus in cena nuptiali manu panariolum tenens circumibat, cum dicebat: *ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον*[3]. Quem ritum ad mala avertenda adhibitum esse optime ex circumgrediendi caerimonia apparet. Corona autem pueri ipsa tutamentum erat contra daemones malignos, quibus opponi putabatur, quisquis actionem superstitiosam agebat.

Quibuscum veterum ritibus comparare liceat nostratium[4]. Convivae praecipue sponsorum patres rore marino ornantur[5], et apud Badenios omnes, qui sponsos ad ecclesiam comitantur, malum citreum, in quo fasciculus roris marini infixus est[6], tenent. Eadem ratione luminibus accensis nonnullae virgines sponsam comitantur[7]. Denique mala ut arceantur, sponsos vel currum, in quo sedent, circumgredi atque circumequitare solent homines superstitiosi[8].

Deinde ianuae, vestibulum omnesque aditus domus, in qua celebrabantur nuptiae, olea, lauro aliisve frondibus tamquam templum redimita conspiciebantur[9]. Plut. amat. 755 A: *Οἰκέται δὲ περικύκλῳ δραμόντες ἀνέστεφον ἐλαίᾳ καὶ δάφνῃ τὰς θύρας οὐ μόνον τὰς τῆς Ἰσμηνοδώρας ἀλλὰ καὶ τὰς τοῦ Βάκχωνος.* Stob. Flor. LXVII 24: *Ἱεροκλέους ἐκ τοῦ περὶ γάμου: θύραις κατεστεμμέναις τύραννον ἀντὶ γυναικὸς ἐπεισάγειν ἑαυτοῖς.* Apuleius metam. IV 26: 'Domus tota lauris obsita, taedis lucida obstrepebat hymenaeum'. Claudian. carm. min. XXIX 28 sqq.: 'Festa frondentia myrto | limina cinguntur, roseisque cubilia surgunt | floribus et thalamum velat dotalis purpura'. Stat.

[1] De tibiarum vi apotropaea cf. Wolters *Ephem. arch.* 1892, 228; Samter *Geb.*, *Hochz.*, *Tod* 12.

[2] De taedarum vi apotropaea v. supra 57, 2; cf. Rohde *Ps.* I[5] 237, 3; Samter *Geb.*, *Hochz.*, *Tod* 73 sqq.

[3] Zenob. prov. III 98; cf. Hesseling l. c. 37.

[4] Cf. Samter *Geb.*, *Hochz.*, *Tod* passim; Sartori *Hdb. z. Volksk.* V 78 sqq.

[5] Meyer *Bad. Volksleben* 283. [6] Meyer l. c. 290; Sartori l. c. 83.

[7] Cf. Sartori l. c. 83; Samter l. c. 67 sqq. [8] Sartori l. c. 83 sq.

[9] Praeter libros supra 61, 7 enumeratos cf. Friedländer ad Iuv. VI 51.

silv. I 2, 229 sqq.: 'Vixdum emissa dies; et iam socialia praesto | omina. Iam festa fervet domus utraque pompa | fronde virent postes effulgent compita flammis'. Etym. magn. 531, 54 s. v. *κορυθάλη· ἡ πρὸ τῶν θυρῶν δάφνη τιθεμένη· ὅτι οἱ κλάδοι (οὓς κόρους καλοῦσι) θάλλουσιν, ὡς καὶ Χρύσιππος· 'ἀλλὰ δᾷδας ἡμμένας μοι ταχὺ δότω τις ἔνδοθεν, καὶ κόρους πλεκτοὺς ἀκραπνεῖς μυρρίνης.' . . . Τινὲς δέ, ὅτι ἠβησάντων τῶν νέων καὶ θυγατέρων δάφνας προετίθουν ἐφηβίοις* (cod. *ἐφηρίοις*) *καὶ γάμοις*[1].

Facile intellegitur domus quoque nuptialis coronationem initio ex superstitione ortam esse, qua ramorum viridium vis salutifera remedium contra daemones malignos esset. Quod probatur nonnullis exemplis recentioribus.

De lectis nuptialibus Graecorum profert Wachsmuth[2]: *Auf das frisch ausgebreitete Linnen werden Weizenbrod, Limonen, Orangen, Myrten und Lorbeer gestreut, über die Kopfkissen in 3 Halbkreisen Brombeeren und Myrtenblüten gelegt mit leicht verständlicher Symbolik.* Quem morem interpretatur sic: *Brod bedeutet Fülle, Limonen, Orangen, Myrten und Lorbeer den Wunsch, daß die Liebe in der Ehe immer gleich frisch grünen und blühen und duften möge, die Brombeere ist das Zeichen der Fruchtbarkeit.* Ex memoria Lettorum consuetudinem hanc tradidit Mannhardt (*W. F. K.* I 47): *Sobald das neue Paar aus der Brautkammer trat, wurde nachgeforscht, ob der junge Ehemann die Liebesprobe bestanden habe. Befand es sich so, so wurde große Fröhlichkeit geübt und ein großer grüner Baum oder Kranz auf das Haus gestellt.* Fronde igitur viridi significabatur sponsorum matrimonio fortunam favere. Ogle[3] coronationem domus postium ad sacrum numini, quod postibus inesse putaverint veteres, factum spectare putat.

Coronarum auctoritas in ritibus nuptialibus optime illustratur nonnullis festis sacris, in quibus deorum nuptiae apparabantur.

---

[1] Cf. Etym. magn. 441, 13 s. v. *θάλαμος· Εἰ μὲν σημαίνει τὸν νέον οἶκον ἐν ᾧ εἰσέρχεται ἥ τε νύμφη καὶ ὁ νυμφίος, γίνεται παρὰ τὸ θάλλω· δεῖ γὰρ ἐν αὐτῷ θάλλοντα εἰσιέναι σώματα, τοντέστιν ἀκμάζοντα καὶ μὴ ἀπεσβηκότα· κτλ.* v. Prellwitz *Etym. Wörterb.* 178 s. v. *θάλαμος*; id. s. v. *θάλλω*.

[2] Wachsmuth *Das alte Griechenl. im neuen* 85 sq.

[3] Ogle *Americ. Journ. of Philol.* XXXII 1911, 264.

Primum locum ille *ἱερὸς γάμος* Samius obtinet, in quo sacrum *ξόανον πρός τι λύγου θωράκιον* alligatum ramis agni casti obvolvebatur (Athen. XV 672 c sqq.)[1]. Placentis huic imagini obiectis, omnes qui festo intererant, discedebant et semet ipsos eisdem ramis ornabant et in agnis castis consedebant. Paulo post sacerdos sacram illam imaginem ex velamento frondeo solutam purgabat et in locum priorem reponebat. Quo ritu *ἱερὸν γάμον* significatum esse omnes consentiunt.

Cum sacrificium placentarum ante imaginem positarum ad religionem posterioris aetatis spectet, ritus coronandi antiquissimus in hoc festo restat. Coronatio primo fuit actio magica, qua daemon fertilitatis, quem illis ramis virentibus inesse putabant veteres[2], et ad illam sacram imaginem et ad mulieres, quae illo festo iisdem ramis ornatae erant, deferebatur[3]. Quod optime illustratur ritu Africano, quem affert Frazer[4]: *The Akikuyn of British East Africa attribute to the wild figtree the power of fertilising baren women. For this purpose they apply the white sapor milk to various parts of the body of the wouldbe mother; then having sacrificed a goat, they tie the woman to a wild fig-tree with long strips cut from the intestines of the sacrificed animal. 'This seems' writes Mr. C. W. Hobley, who reports the custom 'to be a case of the tree marriage of India. I fancy there is an idea of ceremonial marriage with the ancestral spirits which are said to inhabit certain of these fig trees'.*

Similiter ac Samii Lacedaemonii festum Iunonis egisse videntur. Sed rituum huius festi coronatio tantum tradita est. Athen. XV 678 A: *Πυλεὼν οὕτως καλεῖται ὁ στέφανος ὃν τῇ Ἥρᾳ περιτιθέασι Λάκωνες, ὥς φησιν Πάμφιλος*[5].

---

[1] Cf. Bötticher *B. K.* 333; Wagner *P. W.* I 1, 832 sq. s. v. 'agnus castus'; Nilsson *Gr. Feste*, Lpzg. 1906, 46 sqq.; Fehrle *Kult. Keuschheit* 142 sqq.

[2] De agni casti vi salutifera cf. Wagner *P. W.* I 1, 832 sqq.; Fehrle l. c. 143 sq.

[3] In imaginum sacrarum coronatione etiam multum valuisse coronarum vim vincientem, qua numen abire prohibebant, apertum est. Cf. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Römer*[2] 170; Weinreich *Antike Heilungswunder*, *RGVV* VIII 1, 1909, 146, 2; Fehrle l. c. 144, 1.

[4] Frazer *The gold. bough* I[3] 2, 316.

[5] V. Roscher lex. I 2079 s. v. 'Hera'; Nilsson *Gr. F.* 46.

Item die festo Iunonis Argis acto *ἀστερίων* herba quae, planta in ripis fluminis nascebatur, deae erat coronamentum [1].

Cum his Iunonis festis comparemus festum Veneris, quod a Romanis Kalendis Aprilibus celebrabatur. I. Lydo (de mens. IV 65) auctore hoc die festo mulieres plebis ramis myrteis coronatae in virorum balneis lavabantur: *Αἱ δὲ τοῦ πλήθους γυναῖκες ἐν τοῖς τῶν ἀνδρῶν βαλανείοις ἐλούοντο πρὸς θεραπείαν αὐτῆς μυρσίνῃ ἐστεμμέναι, ἢ ὅτι μυρσίνη ἐπιτηδεία τοῖς βρέφεσίν ἐστι — ῥώννυσι γὰρ τὰ σώματα τῶν ἀρτιγενῶν καὶ παρὰ τὰ ἄλλα δὴ τῶν ἀειθαλῶν φυτῶν εὐωδεστάτη τυγχάνει ἡ μυρσίνη — ἢ ὅτι μόνη ἐν τοῖς φυτοῖς χαίρει τῇ θαλάσσῃ.* Ov. fast. IV 139: 'Vos quoque sub viridi myrto iubet ipsa lavari'. Plut. Numa 19 p. 72: *Καὶ ταῖς καλάνδαις ἐστεφανωμέναι αἱ γυναῖκες μυρσίνῃ λούονται.* Denique testes sunt Fasti Praenestini (Mommsen CIL I 1 ² 235), in quibus ex emendatione Mommsenii (l. c. 314) scriptum videmus: 'Frequenter mulieres supplicant [honestiores Veneri verticordiae] Fortunae virili humiliores etiam in balneis, quod in iis ea parte corpor[is] utique viri nudantur, quae feminarum gratia desideratur' [2].

Ritus autem huius festi ad Iunonis Samiorum festum quadrare optime ex eo cognoscitur, quod imago quoque ipsa deae lavata recentibus ornamentis floribusque redimiebatur. Ad imaginem igitur lavatam denuo ramorum vis salutifera deferebatur. Quod festum ad sacras nuptias spectasse docet Ovidius, cum moneat mulieres fast. IV 151 sqq.: 'Nec pigeat tritum niveo cum lacte papaver | sumere et expressis mella liquata favis. | Cum primum cupido Venus est deducta marito, | hoc bibit: ex illo tempore nupta fuit'. Itaque Smith (l. c. 343) ramos myrteos habere vim lustrantem non recte quidem putat, nam coronatio initio magis erat caerimonia ubertatis excitandae causa observata.

Monere vix opus est veteres, postquam coronarum priorem auctoritatem nequaquam recordati sunt, usos esse, cum essent res ad omnes ritus sacros adhibitae.

[1] V. Nilsson *Gr. Fest.* 47.

[2] Cf. etiam Valer. Flacc. apud Macrob. I 12, 15; Preller-Jordan *Röm. Myth.* I ³ 449; Smith-Stübe *Rel. d. Sem.* 338 sqq.

Nonnullis denique verbis explicare liceat, qua ratione Christiani sponsos coronaverint. Quamquam enim scriptores Christianorum omnem coronationem ea de causa vetabant, quod eum morem idolatriam esse putabant, tamen Christianis quoque temporibus coronis redimiti erant sponsi. Chrysostomus sponsorum coronis indicatum esse eos usque ad id tempus cupiditatum victores fuisse dicit (de virgin. cap. VII ed. Migne p. 273): *Οὐδεὶς στεφανοῦται ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ* (1. Cor. 9, 25). *Τίνες οὖν οἱ τῆς ἀθλήσεως ταύτης νόμοι; Ἄκουε πάλιν αὐτοῦ λέγοντος, μᾶλλον δὲ δι' αὐτοῦ τὸν ἀγῶνα θέντος Χριστοῦ. Τίμιος ὁ γάμος καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος* (Heb. 13, 4)[1]. Hinc etiam fit, ut non solum veterum Christianorum consuetudine, sed etiam more hodie apud nos usitato, in nuptiis secundis et multis, quas ecclesia permittit, numquam tamen commendavit[2], non inveniuntur coronae[3].

Itaque Christianorum religione coronae nuptiales testimonia pudicitiae servatae facta sunt. Quas coronas etiam, priusquam sponsis imponerentur, orationibus variis consecratas sponsi per octo vel per tres saltem dies in capite gestabant, quo tempore separati vivere debebant[4]. Deinde sacerdos variis ritibus atque orationibus illas coronas tollebat.

Sed magna erat apud Christianos coronarum nuptialium auctoritas vinciens. *Die Kränze und Ringe, welche in späterer Zeit den Brautleuten gegeben, und das Brot und der Wein, die ihnen gereicht wurden*[5], *sollten die innige Lebensgemeinschaft versinnbilden* (Franz *Kirchl. Benediktionen* II 176). Quam coronarum nuptialium vim vincientem hodie quoque Graeci observant: *Nachdem dann das neue Paar in der Kirche von dem Priester eingesegnet ist, werden Kränze, die bald aus Lilien und Kornähren, den Symbolen der Reinheit und Fruchtbarkeit bestehen, bald aus Weinblättern, die mit Bändern und Gold- und*

[1] Cf. Schmeizel l. c. 39. [2] Chrysostom. de virg. 299.

[3] Denzinger, Ritus Orientalium I 181; F. S. Krauß *Sitte u. Brauch d. Südslaven* 1885, 203; Aigremont l. c. I 110.

[4] Denzinger l. c. I 177; II 364 sqq.; 476; 480; 482; Mader l. c. 49; Schmeizel l. c. 38; Anrich *Mysterienwesen* 234.

[5] De *κοινῷ ποτηρίῳ* sponsorum Graecorum nostrae aetatis cf. Politis *Γαμήλια σύμβολα* 138 sqq.

Silbertressen geschmückt sind, auf ihre Häupter gelegt und von dem Priester und dem Brautführer dreimal herüber und hinüber getauscht (Wachsmuth l. c. 90). Quod item faciunt cum anulis [1].

Quas coronas nuptiales in cubiculo suspensas diligenter asservant Graeci nostrae aetatis, ut eis ornentur mortui [2].

Restat, ut ritibus sacris victorum coronationem addam. Victores et in proelio et in certamine coronatos esse omnes scimus [3]. Discrepant quidem inter se viri docti, utrum victores primo taenia an corona ornati sint. Bötticher, cuius sententiam Pley sequi videtur, taeniam fuisse prius victorum praemium quam coronam censet [4]. Quibuscum dissentit Jüthner (l. c. 48): *Vermutlich verfolgte man ursprünglich mit ihrer* (i. e. taeniae) *Anbringung den praktischen Zweck, die Zweige des Kranzes am Haupte zu befestigen, wofür auch die Zeichnung der Londoner Preis-Amphora spricht. Den Kranz samt der Binde trug der Sieger wohl bis zu seinem Einzuge in die Vaterstadt. Waren die Zweige einmal verdorrt, so wird er sich bei festlichen Anlässen als preisgekrönter Kämpfer die Binde allein angelegt haben. Dies und gewisse künstlerische Erwägungen dürften der Grund sein, weshalb an Siegerbildern in älterer Zeit die Tänie dem Kranze vorgezogen wurde.* Atque eum, qui superior discesserit, semet ipsum, ut compluribus fabulis docemur, prius ramo viridi, qui semper praesto erat, quam infula coronasse magis consentaneum est.

Victorum coronationem ex deliberatione quadam religiosa ortam esse ex Graecorum agonibus colligere possumus.

Quattuor illos agones [5] clarissimos Pythia, Olympia, Nemea, Isthmia initio ludos funebres ad heroum honorem habitos esse

---

[1] De *δακτυλίῳ τοῦ ἀρραβῶνος* v. Politis *Γαμήλια σύμβολα* 120 sqq.; de sponsae anuli (v. supra 20, 2) vi apotropaea apud veteres cf. Samter *Zeitschr. d. V. f. Volksk.* XVIII 1908, 121 sq.

[2] Wachsmuth 90, 4; Lawson *Modern Greek Folklore and ancient Greek Religion*, Cambridge 1910, 558.

[3] De corona taeniaque victorum imprimis egerunt Bötticher *Arch. Zeitg.* 1853, 7 sqq.; Stephani *Compte rendu* 1874, 208 sqq.; Jüthner *Jahresh. d. österr.-arch. Instituts* I 1898, 42 sqq.

[4] Bötticher *B. K.* 222; 331; Pley l. c. 73.

[5] Cf. Reisch *P. W.* I 836 sqq. s. v. 'agones'.

constat[1]. Eodem modo atque homines illis agonibus delectabantur, manes eis gaudere putabantur[2]. Postea demum illi ludi funebres agones ad deorum honorem erant. Variae tum fabulae fictae sunt, quibus probare studebant veteres illos agones aliquem deum instituisse. Quamquam has fabulas ad agonum historiam adhibere non licet, tamen ex eis rationem colligere possumus, quam secuti victores gestaverint coronas.

Ad Nemeorum[3] institutionem duae fabulae pertinent. Primo hi ludi funebres ad Archemori[4] honorem fiebant, cuius mortem milites Adrasti bestia illa, quae ei mortem intulerat, occisa ulti sunt. Posteris autem temporibus illa Nemea in memoriam Herculis committebantur, qui leone Nemeaeo interfecto apio se coronasse dicitur.

Isthmia[5] primo in honorem Melicertae, deinde in memoriam Sinis a Theseo interfecti instituta esse putabant veteres.

Primum locum obtinet illa fabula Pythica, quae Apollinem Pythone dracone interfecto ramis laureis semet ipsum ornasse narrat. Quam laurum etiam posteris temporibus in memoriam supportabant, ut eis coronarent victores[6].

Omnes hae fabulae ea quidem re concinunt, quod docent coronationem fuisse actionem, quam animali interfecto exercebant victores ipsi.

Res nobis est cum eadem superstitione, quam supra (55 sq.) explicavimus, qua hominibus, qui animal interfecerint, cavendum est, ne daemon mortis sibi ipsis noceat[7]. Quod igitur periculum ut a se averteret, victorem se coronasse opinamur. Coronatio erat ritus religiosus, qua victor se a caede purgabat. Quam ad interpretationem iam Tertulliani (de cor. VII) verba spectant: 'Apollinem memorat (sc. Callimachus)

---

[1] V. Rohde *Ps.* I[5] 152, 1.

[2] Cf. Nilsson *Urspr. d. Tragödie*, *N. Jahrbb.* XXVII 1911, 609 sqq.

[3] Cf. Gaspar in Daremberg-Saglio IV 1, 50 sqq. s. v. Nemea: Meineke, Analecta Alexandrina, Berlin 1843, 86.

[4] V. Bethe *P. W.* II 1, 456 sq. s. v. 'Archemorus'; Stoll in Roscher Lex. I 472. [5] Couve in Daremb.-Sagl. III 1, 588 sq. s. v. 'Isthmia'.

[6] V. schol. Pind. Pyth. 298 (ed. Böckh); Körte *Herm.* XXXIX 27. De daphnephoria Delphica cf. Gruppe *G. M.* 106; Bötticher *B. K.* 385 sqq.; Hehn[8] l. c. 225 sq.; Frazer ad Paus. IX 10, 4.

[7] Cf. Frazer ad Paus. II 7, 7; id. *The golden bough* II[3] 165 sqq.

interfecto Delphyne dracone lauream (sc. coronam) induisse, qua supplicem'. Quem ad locum recte adnotat Oehler (ed. Lpzg. 1853): *Καθαρσίων ἕνεκα.* Est enim laurus purificationibus adhibita teste Masurio apud Plinium n. h. XV 135; adde Serv. ad Aen. XII 120, schol. Apoll. Rhod. IV 156'. Liceat etiam afferre, quod exhibet de Apollinis coronatione Ogle (*Americ. Journ. of Philol.* XXXI 1910, 288): *It was an act of purification, and its aim was that of all such acts — to keep the evil spirits at a distance*[1].

Eadem ratione Hercules Caco interfecto[2] atque Argonautae Amyco necato[3] ramos coronasve laureas gestabant. Atque Iuppiter ipse hoc ornamento redimitus putabatur, cum Titanes vicisset (Serv. Verg. Ecl. VIII 13).

Coronationem victoris initio fuisse caerimoniam religiosam, qua daemones maligni arcerentur, etiam alio ritu probatur. Omnes enim scimus victori praeter coronam ab iudicibus certaminum datam etiam a spectantibus ramos, coronas, taenias, mala ipsa, vestimenta donata esse. Quem ritum *φυλλοβολίαν*[4] vocabant Graeci. Mala eandem vim salutiferam atque daemones malignos prohibentem habuisse ac ramos virides facile intellegitur. Sed quid volebant illa vestimenta? Certe non errabimus, cum hunc usum vestimentorum donandorum simili modo ad daemonum propulsationem spectasse putemus. Victores mutatis vestibus daemonum incursiones evitaturos esse credidisse videntur veteres.

Quam coronae atque *φυλλοβολίας* interpretationem ad imperatores tantum quadrat, qui hostibus victis pompa solemni in patriam revertebantur et deis sacrificium debitum parabant[5].

Victores autem agonum eodem modo coronabantur et muneribus obruebantur, cum honoribus, quos victori tribuebant,

---

[1] Ogle l. c. 290: *We must not forget that purification originally meant nothing but freedom from spirits, and the substances used in such rites had power not only to expel these spirits but to repel them i. e. they were prophylactic, and it is impossible to tell which idea was the most prominent.*

[2] Cf. Dionys. Hal. ant. r. I 40.

[3] V. Apoll. Rhod. Argonaut. II 159; cf. etiam schol.

[4] De *φυλλοβολίᾳ* cf. Reisch *P. W.* I 847; Stephani *Compte-rendu* 1874, 135 sqq.; Jüthner l. c. 43.

[5] Cf. Fustel de Coulanges l. c. 196.

heroa ipsum illius ludi funebris vel deum illius agonis venerari putarent veteres[1].

Una cum agonibus et praemia eorum a Graecis Romam translata sunt[2]. Sed interdum priorem quoque praemiorum sensum cognoscere possumus.

Ludis maximis, quorum institutio prima a Graecis suscepta est, praeter victores agonum ii maximi aestimabantur, qui in pugnis atrocibus hostes interfecerant. Mommsen[3] de his ludis habet haec: *Auch die im Kriege gewonnenen Ehren spielten bei diesem Feste eine Rolle, der tapfere Streiter stellte an diesem Tage die Rüstungen der erschlagenen Gegner aus und ward von der dankbaren Gemeinde ebenso wie der Sieger im Wettspiel mit dem Kranz geschmückt.*

Optime vero corona triumphantium sensum pristinum coronae victoris servavit. Triumphus[4], quem imperator Romanorum aliqua gente devicta agebat, initio actio tantum sacra erat, cuius auctoritatis semper erant memores Romani.

Ac primum quidem is, qui triumphabat, semet ipsum et milites, qui eum comitabantur, eadem de causa ramis laureis coronabat, qua Apollinem Pythone necato se coronasse vidimus, i. e. ut averteret illa pericula, quae interfecto animali exsistere putabant homines superstitiosi. Rectissime igitur iam antiquorum scriptores coronae triumphantium inesse vim lustrationis cognoverunt[5]. Fest. p. 117, 13: 'Laureati milites sequebantur currum triumphantis, ut quasi purgati caede humana intrarent urbem. Itaque eandem laurum omnibus suffimentis adhibere soliti erant'. Plin. XV 135: 'Ob has causas equidem crediderim honorem ei (sc. lauro) habitum in triumphis potius quam quia suffimentum sit caedis hostium et

[1] Tertull. de cor. XIII: 'Num quid et agonisticae caussae disputabuntur, quas statim tituli sui damnant? et sacras et funebres scilicet? Hoc enim superest, ut Olympius Iupiter et Nemaeus Hercules et misellus Archemorus et Antinous infelix in Christiano coronentur, ut ipse spectaculum fiat, quod spectare debet'. [2] V. Reisch *P. W.* I 865.

[3] Mommsen *Römische Geschichte* I 228.

[4] De Romanorum triumpho cf. Marquardt-Mommsen *Röm. Staatsverw.* II[2] 586 sqq.; Laqueur *Hermes* XXXXIV 1909, 215 sqq.

[5] Cf. Diels *Sibyll. Bl.* 120; Samter *Familienf.* 88; Hock l. c. 116 et imprimis vide Ogle *Americ. Journ. of Philol.* XXXI 1910, 291 sqq.

purgatio, ut tradit Masurius'. Denique Plutarchus (Brutus 39 p. 1002) testis est ad lustrationem exercitus coronationem adhibitam esse.

Tamen alia ratione coronarum in pompa triumphali usum explicari potest. Neque enim solum manes interfectorum imperatores timebant, sed etiam eis cavendum erat, ne invidia fascinarentur. Fascinationi[1] invidiae omnis homo inter ceteros excellens obiectus esse putabatur. Quomodo triumphator contra eam se muniverit, explicat Macrobius (sat. I 6, 9): 'Nam sicut praetexta magistratuum ita bulla gestamen erat triumphantium, quam in triumpho prae se gerebant inclusis infra eam remediis, quae crederent adversus invidiam valentissima'. Eadem ratione remedium contra invidiam ad currum triumphantis alligabatur (Plin. n. h. XXVIII 39). Idem etiam volebant illi versus, quibus milites imperatorem triumphantem exprobrabant. Quorum simile forsitan remedium fuerit corona imperatoris laurea.

Denique coronis militum et imperatoris indicabatur eos caerimoniam sacram agere[2].

Quanti coronarum auctoritas in triumphis fuerit, vel inde apparet, quod litterae ipsae ad victoriam indicandam ad senatum missae laureis quidem ramis erant redimitae[3].

Item naves victoria navali parta variis coronis abundabant.

Quamquam omnibus fere in triumphis coronis laureis utebantur veteres, tamen etiam aliae plantae in hac pompa sacra usitatae sunt. Coronis oleagineis triumphantium ministri coronati erant. Eodem modo ad ovationem coronas tantum oleagineas vel myrteas Romani adhibebant. Quomodo inter harum plantarum usum disiunxerint veteres, supra (31 sq.) ostendimus.

Eandem auctoritatem sacram apud Romanos habebat corona oleaginea festo transvectionis equitum, quod in memoriam et victoriae ad Regillum lacum partae et templi ad honorem Castoris et Pollucis deorum Graecorum conditi Idibus

---

[1] De fascinationis superstitione v. Jahn *S.-Ber. sächs. Ges. d. W.* VII 1855, 28 sqq.; Seligmann *Der böse Blick*, Berlin 1910.

[2] Cf. Fustel de Coulanges l. c. 196.

[3] Testimonia huc spectantia collegit Ogle *Am. Journ.* XXXI 1910, 295, 1.

Iuliis celebrabatur[1]. Quas ferias equites tributim atque turmatim vestimentis quidem militaribus, tamquam ex proelio reverterentur, induti trabea coronaque oleaginea ornati egerunt[2]. Eadem ex vi lustrandi adhibebatur corona oleaginea atque trabea[3].

Coronas illas acceptas saepius certaminis victor deis patriae dedicabat, velut apud Aristoph. Plut. 1088 *νεανίας* dicit: *Τῷ θεῷ γὰρ βούλομαι ἐλθὼν ἀναθεῖναι τοὺς στεφάνους, τοὺς δὲ οὓς ἔχω.* Cf. Plin. n. h. XVI 10[4].

Coronam triumphantium lauream aetate Augusti ornamentum perpetuum imperatorum factam esse inter omnes constat[5]. Qua corona indicabatur eos esse victores perpetuos et pontifices maximos.

Cum corona victorum honore cognatae esse videntur illae coronae, quae erant praemia virtutis[6]. Quorum praemiorum maxime aestimabantur corona civica et corona obsidionalis. Illa quidem ex ramis ilicis semper virentis nexa dabatur, si quis civem, haec, quae ex gramine constabat, si quis complures cives ab interitu servaverat. Steiner[7], qui de his praemiis fusius egit, has coronas ex supplicantium ritu[8] ortas esse putat (l. c. 40sqq.): *Wie der Besiegte durch Überreichung eines grünen Zweiges sich mit der Bitte um Schonung des Lebens in die 'potestas' des Siegers begab, so übergaben die aus Feindeshand und größter Not Geretteten durch Überreichung des Graskranzes bzw. bei der 'corona civica' der einzelne Gerettete durch Darbringung des Eichenkranzes, sich gleichsam in die 'patria potestas' ihres Retters.* Sed non recte paulo infra huic interpretationi addit ille vir doctissimus: *Hinzu tritt aber sicherlich die Weihe, die das Gras als das dem Mars, die Eiche als das dem Juppiter heilige Kraut für die Alten hatte.*

Quarum coronarum ex materia forsitan colligere possimus

[1] Cf. Preller-Jordan *Röm. Myth.* II[3] 503.

[2] V. Iuvenal. sat. X 36sqq.

[3] De trabeae vi lustrandi egit Samter *Philol.* LVI 1897, 396sq.

[4] Cf. Bötticher *B. K.* 316; Hermann *Gottesd. Altert.* II[2] 50, 24.

[5] V. Monum. Ancyr. VI 16; Mommsen, Res gestae Divi Augusti, Berlin 1883, 149. [6] Cf. Fiebiger *P. W.* IV 1636sqq. s. v. 'corona'.

[7] Steiner *Bonner Jahrbb.* CXIV 1906, 31sqq.

[8] Cf. supra 16sq.

ad coronas victorum initio plantas vel herbas virentes adhibitas esse, quaecunque praesto erant. Atque tanta erat auctoritas horum praemiorum, ut illa materia simplex, quamvis luxuria floreret, sibi constaret.

b) De coronarum in rebus superstitiosis usu

Rebus sacris expeditis iam erit quaestio de coronarum usu in rebus ad superstitionem pertinentibus. Sed res superstitiosas a rebus sacris seiungi non posse multi viri docti demonstraverunt[1]. Ritus enim et ad res sacras et ad res superstitiosas adhibiti ad primordia quidem religionis spectant.

Multi sunt ritus superstitiosi, quibus in mulierum partibus et matris et infantis tuendae causa contra daemones malignos uti solebant homines religiosi[2].

---

[1] Cf. Lehmann *Kultur d. Gegenwart* I pars III 10; Deubner *Neue Jahrbb.* XXVII 1911, 322; Nilsson *R. G. Volksbb.* XIII/XIV 1911, 9 sqq.

[2] Samter *Geb., Hochz., Tod* 26 sqq. et passim; Sartori *Handb. zur Volksk.* V 21 sqq.; Hastings *Encyclopaedia* vol. II 635 sqq. s. v. *'birth'*. Digna est, qui memoretur, caerimonia apud Indos muliere septimo mense gravida usitata, quam protulit Fra Paolino *Reise nach Ostindien, deutsch von Forster*, Berlin 1798, 256 sq.: *Eine Laube aus Zweigen, Blättern und Blüten des Kokosbaumes wird errichtet. Der Mann ladet alle Verwandten durch Zuschicken von Betelblättern ein. In der Laube wird geopfert, damit die Götter für die Erhaltung des Kindes sorgen sollen. Nach dem Opfer hängt man der schwangeren Frau, welche mitten in der Laube sitzt, einen Blumenkranz um den Hals und stellt eine Schüssel vor sie hin, die mit Safran und Kalk angefüllt ist, welchen man zuvor in Wasser aufgelöst hat. Der Safran oder Cuncuma ist den Planeten geheiligt und soll die Eigenschaft haben, die bösen Dämonen zu vertreiben. Alle Weiber nehmen das Gefäfs in die Hand und fahren jede dreimal der schwangeren Frau damit vors Gesicht her, um böse Dämonen zu verscheuchen und Hexereien unwirksam zu machen* ['fumus suffimentis evocatus daemonibus tam molestus habebatur, ut, cum per os et nares daemoniaci invaderet, daemonem exire cogeret' Tambornino *RGVV* VII 3, 1909, 83]; *sodann gibt man einen anderen Napf, gefüllt mit etwas Milch, darin liegen Gold- und Silbermünzen, der schwangeren Frau in die Hand. Diese beugt den Kopf etwas vornüber, sodann nimmt jede von den anderen Weibern je ein Geldstück aus dem Napf und legt es der Frau zwischen die Schultern, um so den Segen der Göttin Lakshami, des Reichtums, der Fruchtbarkeit usw. zu erflehen.*

Huc spectare videtur, quod veteres postes domus natalis coronabant. Corona oleaginea significabant veteres puerum, infula lanea puellam natam esse. Hesychius s. v. *στέφανον ἐκφέρειν· ἔθος ἦν, ὁπότε παιδίον ἄῤῥεν γένοιτο παρὰ Ἀττικοῖς, στέφανον ἐλαίας τιθέναι πρὸ τῶν θυρῶν· ἐπὶ δὲ τῶν θηλειῶν ἔρια διὰ τὴν ταλασίαν.*

Hesychii ex distinctione, qua lana indicaverint veteres puellam lanam tractaturam esse[1], concludere possumus, cum interpretatio usus coronae oleagineae in pueri partu desit, illam infulam posteris demum temporibus usitatam esse. Atque cum Deubnero consentimus neque dubitamus, quin prima consuetudo ea fuerit, ut coronam oleagineam filo quidem laneo ad postes domus natalis ligarent veteres[2].

Coronam tantum die natali ad domum suspensam esse ex Iuvenalis verbis discimus, sat. IX 85 sq.: 'Foribus suspende coronas | iam pater es'. Idem Athenaeus quoque Ephippo auctore (Athen. IX 370 c = Kock C. A. F. II 251 sq. Ephippi frgm. 3): *Ἀθήνησι δὲ καὶ τετοκυίαις κράμβη παρεσκευάζετο ὥς τι ἀντιφάρμακον εἰς τροφήν. Ἔφιππος γοῦν ἐν Γηρυόνῃ φησίν·*

ἔπειτα πῶς
οὐ στέφανος οὐδείς ἐστι πρόσθε τῶν θυρῶν, οὐ κνῖσα κρούει ῥινὸς ὑπεροχὰς ἄκρας ἀμφιδρομίων[3] *ὄντων· κτλ.*[4].

Coronae usus die natali apud veteres habuisse vim apotropraeam ex ritu huius simillimo colligere liceat. Photius s. v. *ῥάμνος* exhibet: *Καὶ πίττῃ ἐχρίοντο τὰ σώματα* [corr. *δώματα* Rohde]*· ἀμίαντος γὰρ αὕτη· διὸ καὶ ἐν ταῖς γενέσεσι τῶν παιδίων χρίουσι τὰς οἰκίας εἰς ἀπέλασιν τῶν δαιμόνων.*

Atque coronae oleagineae vim apotropaeam sic explicat Deubner: *The luck which it* [i. e. ille ramus oleagineus] *brings drives away ill luck* (Hastings *Encycl.* II 648).

Rohde et Samter coronam et lanam hoc loco lustrandi vim habuisse censent[5]. Quam sententiam Deubner reiecit.

---

[1] Coronam laneam significare omnia, quae ad *ἔργα γυναικῶν* pertinent, Aelianus (supra 16) docuit.

[2] Samter *Familienf.* 86; Deubner in Hastings *Encyclop.* II 648.

[3] De lustrationibus *ἐν τοῖς ἀμφιδρομίοις* factis cf. Rohde *Ps.* II[5] 72, 1.

[4] Cf. Wächter *RGVV* IX 1, 28; Deubner in Hastings *Encycl.* II 648.

[5] Rohde *Ps.* II[5] 72, 1; Samter *Familienf.* 87.

Ac Deubnero quidem assentimur, cum coronatio minus sit actio magica, qua daemones expellere volunt homines superstitiosi, quam qua daemones nocere prohibent. Quod probatur caerimoniis aliis.

Hodie quoque ille mos viget die natali postes domus remediis magicis exornare, ut avertant daemones malignos. Quod ut probemus, liceat afferre, quod narrat de Graecis nostrae aetatis G. Sajaktzis[1]: *Der Wöchnerin wird ein goldener Ring mittels rotweißen Fadens gegen den bösen Blick an den Hals gebunden, den sie 40 Tage trägt. Einen solchen Faden bindet dieselbe Person* (i. e. obstetrix) *auch außen über der Tür des Zimmers der Wöchnerin an, damit dem Kinde der böse Blick nicht schade* (νὰ μὴ ματιάσῃ τὸ μικρό). Alia actio magica est haec: *Auch bildet man aus Hochzeitsblumen oder solchen, die beim Fest Johannis des Täufers als Schmuck gedient haben, einen Kranz, durch den die Kranke gezogen wird*[2].

Plerumque homines maiore gaudio afficiuntur, si puer quam si puella natus est, et id vario quidem genere pronuntiant[3]. Badenio more arbor viridis ad domum ponitur, ut puerum natum esse indicent[4].

Dignus etiam est, qui afferatur, usus Graecorum, *daß man bei einem Knaben einen Kuchen, ein Geldstück und einen Säbel, bei einem Mädchen einen Spinnrocken unter das Kopfkissen legt, um auf jenen Überfluß, Glück und Tapferkeit, und auf diese Arbeitsamkeit herabzuziehen*[5].

---

[1] G. Sajaktzis *Graecowalachische Sitten und Gebräuche, Zeitschr. d. Vereins f. Volksk.* IV 1894, 139.

[2] Sajaktzis l. c. 140. Ritu transmittendi per coronam illa mulier liberatur ab omnibus daemonibus malignis; cf. supra 63, 1. Eadem ratione parvulum per anulum ferreum traiciunt Graeci. Sajaktzis l. c. 143; cf. etiam Seligmann *Bös. Blick* II 276; 327 sq.

[3] Sartori *Hdb. z. Volksk.* V 26 sq.

[4] Meyer *Baden* 15. Item apud gentem rudem, quam '*Cora Indianer*' vocamus, infantis tuendi causa rami virides ad domum alligantur (Preuß *Arch. Rel.* IX 1906, 466). Maxime autem interest apud '*Sulka*' gentem ossa parvuli recens nati calmis gramineis feriri, ut celeriter discat ire (Rascher *Arch. f. Anthrop. N. F.* I 1904, 212). Eadem caerimonia die pubertatis funguntur hi homines superstitiosi, *damit sie so kräftig wachsen wie die jungen Bäume* (Rascher l. c. 213). Denique apud gentem '*Ewhe-Neger*' vocatam geminis natis parentes variis herbis purgantur (cf. Spieß *Arch. Rel.* XV 1912, 164).

[5] Wachsmuth l. c. 75.

Coronarum superstitionem etiam multis in festis agrestibus[1] observavisse videntur veteres.

Ac primum quidem festum Palilium[2] Romanorum eligamus, quod in antiquissimis feriis enumeratur. Ritus huius festi Deubner[3] duas in partes dividit. Altera in parte suffimenta et libamenta cum precationibus ad Palem numen factis, altera ritus, quibus vis lustrandi et mala propulsandi inest, invenimus.

At hos ritus, quos antiquiores quam illa sacrificia atque precationes esse Deubner (l. c. 323) probavit, intueamur. Ex diversorum rituum contextu, qui omnes ad eandem rationem spectant, vim coronarum facile colligere possumus.

Primo pastor 'unda spargat' et 'virga verrat humum' ovilium (Ovid. fast. IV 735). Utrumque ritum habere vim prohibendi daemones malignos satis constat: *der hier als materiell gedachte Unsegen* [*wird*] *fortgeschafft* (Deubner l. c. 323). Quo in ritu praeter caerimoniam verrendi ipsam multum valebat scoparum materia[4]. Scopae enim recentibus ex ramis factae erant, similiter ac, ut videbimus infra, postes recenti fronde ornabantur[5]. Et ramos tantum virides ad scoparum usum idoneos esse satis apparet. Ritus autem verrendi ipse vim scoparum materiae superavit.

Quibus ritibus lustratione facta pastores ovilia ramis coronisque ornabant: v. 736 sq.: 'Frondibus et fixis decorentur ovilia ramis | et tegat ornatas longa corona fores'. Qui mos, quid sibi velit, per se apparet. Malis tamquam remotis illos ramos salutiferos ad ovilia suspendebant pastores, ut denuo incrementum quasi ac salutem sibi sumerent. Simul hi rami salutiferi optima remedia contra daemonum malignorum impetus erant. Quae opinio forsitan aucta sit eo, quod illa 'longa corona' substituebatur circulus magicus circa ovilia ductus[6].

---

[1] De agricolarum observationibus ritibusque magicis cf. Sartori *Hdb. z. Volksk.* VI 1911 passim.

[2] De hoc festo cf. Preller-Jordan *Röm. Myth.* I[3] 16 sq.; Wissowa *Rel. u. Kult. d. Römer*[2] 199 sq. [3] Deubner *Neue Jahrbb.* XXVII 1911, 321.

[4] De verrendi vi et de scoparum auctoritate magica cf. Samter *Geb., Hochz., Tod* 30 sqq. [5] Cf. etiam Preller-Jordan *Röm. Myth.*[3] 416.

[6] Cf. supra 9 sqq.

Multa alia festa agricolarum pastorumque Romanorum exstant, in quibus coronarum usum invenimus.

Ambarvalium[1] in festis non solum homines 'Cereri operantes' coronati erant, sed etiam in pecorum capitibus coronae imponebantur. Tibull. II 1, 7 sq.: 'Nunc ad praesepia debent | plena coronato stare boves capite'. De festo Paganalium Ovidius fast. I 663 sq. haec exhibet: 'State coronati plenum ad praesepe iuvenci | cum tepido vestrum vere redibit opus'.

Vestae die festo pistrina et aselli molares coronis ornati erant, et aselli quidem coronam e pane factam gestabant. Ov. fast. VI 469: 'At simul auritis violae demuntur asellis. Id. VI 311 sq.: 'Ecce coronatis panis dependet asellis, | et velant scabras florida serta molas.' Id. VI 347: 'Quem tu, diva, memor de pane monilibus ornas'. Prop. IV 1, 21: 'Vesta coronatis pauper gaudebat asellis'. Cf. Lactant. Inst. I 21, 26 (ed. Migne 257); Wissowa *Ges. Abhandlungen* 1904, 69. Omnibus in his festis coronas vim salutiferam habuisse putamus. Utrum haec festa Paganalia et feriae Sementivae et lustratio pagi inter se secernenda sint necne, nihil refert[2]. Celebrabantur enim fere omnes hae feriae seminibus terra conditis, ut illis ritibus religiosis omnia mala ab hominibus, a pecore, ab agris averterentur[3].

Coronatio initio actio tantum magica, qua ramorum vim salutiferam ad pecora deferri agricolae superstitiosi existimabant, mox erat caerimonia sacra, qua indicabant se omnia numini agresti dedicaturos esse. Atque ex pecoris coronatione colligere possumus illis diebus festis unum certe haedum vel ovem numini illi agresti immolatum esse.

Quod etiam probatur illa panium corona, qua caput equi Octobris[4], priusquam ritu cursus citati[5] peracto mactaretur, ornabant. Festus 220: 'Panibus redimibant caput equi immolati idibus Octobribus in campo Martio, quia id sacrificium fiebat ob frugum eventum' etc.

Equi autem illius caput panibus redimitum ad postes

---

[1] Cf. supra 13, 3 sq. [2] Cf. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Römer*[2] 193; 399; 439.
[3] Cf. etiam Brüllow-Schaskolsky *Wiener Studien* XXXIII 1911, 160 sqq
[4] V. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Römer*[2] 145; id. *Ges. Abhdlgen* 165.
[5] Cf. Deubner *N. Jahrbb.* XXVII 1911, 326 sq.

Regiae suspendebatur, quocum optime comparatur, quod ante fores templi Cereris corona spicea pendebat (Tib. I 1, 15) et apud nos messe facta corona spicea ad fastigium domus alligatur[1].

Ad eiusdem religionis primordia spectant lustrationes, quibus venatores[2] Romani Idibus Augustis per totam Italiam canes suos purgabant. Testes sunt.: Stat. silv. III 1, 55 sqq.: 'Iamque dies aderat, profugis cum regibus aptum | fumat Aricinum Triviae nemus et face multa | conscius Hippolyti splendet lacus; ipsa coronat | emeritos Diana canes et spicula terget | et tubas sinit ire feras omnisque pudicis | Itala terra focis Hecateidas excolit idus'. Gratt. Cynegetic. 483 sqq.: 'Idcirco aëriis molimur compita lucis | spiccatasque faces sacrum ad nemorale Dianae | sistimus et solito catuli velantur honore | ipsaque per flores medio in discrimine luci | stravere arma sacris et pace vacantia festa. | Tum cadus et viridi fumantia liba feretro | praeveniunt teneraque extrudens cornua fronte | haedus et ad ramos etiamnum haerentia poma | lustralis de more sacri, quo tota iuventus | lustraturque deae proque anno reddit honorem. | Ergo inpetrato respondet multa favore | ad partis, qua poscis opem, seu vincere silvas | seu tibi fatorum labes exire minasque | cura prior, tua magna fides tutelaque, virgo'. Arrian. Cyneget. 33: *Θύειν χρὴ καὶ ἐπὶ θήρᾳ εὖ πράξαντα, καὶ ἀνατιθέναι ἀπαρχὰς τῶν ἁλισκομένων τῇ θεῷ, ** τε ἀπο-*

[1] Rationem consuetudinis veterum coronandi pecoris commode ritibus recentioris aetatis confirmabimus (Sartori *Hdb. z. Volksk.* VI 150). Priusquam homines agrestes opus incipiant, pecora iumentaque purgant eaque tuentur a fascinatione. Cum apud nostrates opinio sit praeter alias plantas hederam propulsare fascinationem, vaccae ineunte vere primum mulgentur per coronam hederaceam (Wuttke *Der deutsche Volksaberglauben*[4], Berlin 1900, 482; Seligmann *Böser Blick* II 61). In provincia nostra, quae Pommern vocatur, corona in capite vaccae ponitur, ut lacti sit remedio apotropaeo (Seligmann l. c. II 61). Auctoritas coronae augetur, si homo vi magica praeditus eam antea habuerit. Itaque corona ex tenuissimis piri ramis nexa, quam virgo integra die St. Jacobi gestaverit, iuvencae vescuntur, ut tutae a fascinatione reddantur (Wuttke l. c. 692; Seligmann l. c. II 57; Fehrle l. c. 62). Denique coronas ad stabula ligatas profero, quibus fulmina averti homines superstitiosi putant (Wuttke l. c. 91; Sartori *Hdb. z. Volksk.* VI 1911, 138 sq.; cf. etiam Frazer *The gold. bough* I[3] 2, 126; 166 sq.

[2] De venatorum superstitione cf. Sartori *Hdb. z. Volksk.* VI 163.

καθαίρειν τὰς κύνας καὶ τοὺς κυνηγέτας, κατὰ τὰ πάτρια, ὡς νόμος. Deinde Arrianus (l. c. 34) de more Celtarum loquitur, qui Dianae quotannis sacrificium publico sumptu instituebant, qui praebebatur ex pecunia per totum annum pro unaquaque bestia necata soluta. Arrian. Cyn. 34, 2 sq.: *Περιελθόντος δὲ τοῦ ἔτους ὁπόταν τὰ γενέθλια ἥκῃ τῆς Ἀρτέμιδος, ἀνοίγνυται μὲν ὁ θησαυρός, ἀπὸ δὲ τοῦ συλλεχθέντος ἱερεῖον ὠνοῦνται, οἳ μὲν οἶν, οἳ δὲ αἶγα, οἳ δὲ μόσχον, εἰ οὕτω προχωροίη. Θύσαντες δὲ καὶ τῶν ἱερείων ἀπαρξάμενοι τῇ Ἀγροτέρᾳ, ὡς ἑκάστοις νόμος, εὐωχοῦνται αὐτοί τε καὶ αἱ κύνες. Τὰς κύνας δὲ καὶ στεφανοῦσιν ἐν τῇδε τῇ ἡμέρᾳ, ὡς δῆλον εἶναι διότι ἐπ' αὐταῖς ἑορτάζουσιν....* Ibd. 36, 4: *Τούτοις χρὴ πειθομένους, καθάπερ ἐπ' ἄλλῳ τῳ ἔργῳ, οὕτω δὲ καὶ ἐπὶ θήρᾳ ἄρχεσθαί τε ἀπὸ θεῶν καὶ χαριστήρια θύειν εὖ πράξαντας καὶ σπένδειν καὶ εὐφημεῖν καὶ στεφανοῦν καὶ ὑμνεῖν καὶ ἀπαρχὰς τῶν ἁλισκομένων ἀνατιθέναι, οὐ μεῖον ἢ ἐπὶ νίκῃ πολέμου ἀκροθίνια.*

Quibus ex testimoniis satis apparere videtur coronationem vim lustrandi et mala avertendi habuisse. Nam inde, quod illae feriae canum mense Augusto agebantur, quo tempore plerumque venatio incipit, colligere possumus venatores cum pro beneficiis per totum annum acceptis deae gratias debitas egisse, tum deae tutelam denuo sibi exorasse. Similiter et canes a sanguine bestiarum interfectarum purgabant i. e. pericula, quae ex omnis corporis exanimati vi nocifera oriri putabant homines superstitiosi, avertebant, et his ritibus magicis efficiebant venatores, ne canes daemonum in manus anno insequenti inciderent. Rami igitur salutiferi coronarum remedia erant apotropaea.

Quem coronarum usum comparat Frazer[1], qui iam de hoc festo egit, cum Slavorum[2] more coronandi boves et vaccas die St. Georgi frondibus, ut ab eis avertant fascinationem, et recte quidem demonstrat coronationem canum initio minus ritum lustrationis, quam actionem magicam fuisse, quam exercebant veteres, ut averterent daemones malignos[3].

[1] Frazer *The gold. bough* I[3] 2, 125 sqq.

[2] Cf. Seligmann l. c. II 52; Tetzner *Die Slawen in Deutschland*, Braunschweig 1902, 80; 190.

[3] Frazer l. c. 126.

Coronarum vel ramorum superstitionem etiam piscatores[1] et nautae veteres observabant.

Plutarchus (de sollert. animal. 32) de piscatione loquitur et de anthia pisce, qui tamquam numen colebatur, exhibet: de sollert. anim. 32, 4 p. 981 E: *Ἂν οὖν ποτε λάβωσι, στεφανοῦνται μὲν αὐτοί, στεφανοῦσι δὲ τὰς ἁλιάδας, κρότῳ δὲ καὶ πατάγῳ καταπλέοντας αὐτοὺς ὑποδέχονται καὶ τιμῶσιν.* Facile intellegitur piscatores initio timore piscis capti et necati commotos navem et semet ipsos coronasse. Vis autem coronarum apotropaea augebatur strepitu, quem piscatores edebant. Ex '*tabu*' religione piscis necati paulatim cultus eius oriebatur.

Ad superstitionem fascinationis spectare videtur, quod naves[2], ubi primum portum ceperant, coronabant veteres. Sil. Ital. Punic. XI 484 sq.: 'Lauro redimita subibat | optatos puppis portus'. Ov. am. III 11, 29 sq.: 'Iam mea votiva puppis redimita corona | lenta tumescentis aequoris audit aquas'. Quae coronae initio remedia apotropaea[3] mox sacra munera deo alicui, cuius simulacrum in puppi positum erat, oblata factae sunt. Verg. Georg. I 303 sq. (= Aen. IV 418): 'Ceu pressae cum iam portum tetigere carinae | puppibus et laeti nautae imposuere coronas'. Prop. III 24, 15: 'Ecce coronatae portum tetigere carinae'. Val. Flacc. Argon. I 301: 'Visa coronatae fulgens tutela carinae'[4].

Frondibus imprimis abundabat navis, in qua sacram cuiusvis dei imaginem solemniter transportabant veteres.

Cum Romani Aesculapii imaginem Epidauro Romam trans-

[1] De piscatorum religione superstitiosa cf. Sartori *Hdb. z. Volksk.* VI 160 sq.

[2] Liceat afferre, quomodo homines rudes, qui insulas vernacula lingua '*Westkarolinen*' vocatas incolunt (*Globus* LXXXVII 1905, 78 sq.), naves consecrent. Qua in consecratione praeter alias caerimonias 'sacerdos' vultu fucato coronam floridam in capite gestans unamquamque navem in litus actam conscendit, eius latera malumque terties ramo virenti pulsat, eamque nuce '*Kokus*', quae vocatur, arboris tangit. Ad cuiusque navis consecrationem recentem ramum et recentem nucem 'sacerdos' adhibet. Haec caerimonia quid sibi velit, apparet. Pulsando et tangendo navem remediis salutiferis 'sacerdos' eam contra omnia pericula muniebat.

[3] Hodie quoque naves frondibus ornatas de navalibus deducere solemus.

[4] Cf. Schiller *Spaziergang* 114: *Hoch von den ragenden Masten, wehet der festliche Kranz.*

ferrent, navem coronis velabant. Ov. met. XV 696: 'Torta coronatae solvunt retinacula navis'. Et apud eundem poetam pompam Magnae matris Idaeae canentem scriptum videmus, fast. IV 335 sq.: 'Ante coronatam puppem sine labe iuvencam] mactarunt'.

Auctoritatem etiam superstitiosam coronas initio habuisse in cultu aquarum usitatas putamus. Sic Strabone (VI 2, 9) auctore in Alphei et Eurotae fontes coronae iaciebantur: *Καὶ πάλιν τὸ πρὸς τὴν Ἀρκαδικὴν Ἀσέαν ὑποβρύχιον ὡσθὲν ὀψέ ποτε τὸν Εὐρώταν καὶ τὸν Ἀλφειὸν ἀναδίδωσιν ὥστε καὶ πεπιστεῦσθαι μυθῶδές τι, ὅτι τῶν ἐπιφημισθέντων στεφάνων ἑκατέρῳ καὶ ῥιψέντων εἰς τὸ κοινὸν ῥεῦμα ἀναφαίνεται κατὰ τὸν ἐπιφημισμὸν ἑκάτερος ἐν τῷ οἰκείῳ ποταμῷ.*

Priusquam hunc morem explicemus, nonnulla alia eiusdem usus exempla afferamus[1].

Plinius (n. h. XXXI 29) in Eurymenis fontem coronas iactas lapideas fieri tradidit. Romae cultum fontium tantam auctoritatem habuisse, ut III ante Idus Octobr. festum publicum agerent Romani, quod Fontinalia vocabant, omnes scimus. Quo die et puteos coronabant et coronas in fontes iaciebant. Varro d. l. l. VI 22: 'Fontinalia[2] a Fonte, quod is dies feriae eius; ab eo tum et in fontes coronas iaciunt et puteos coronant'. Cf. etiam Frontin de aqu. c. 4; Fest. p. 85; CIL I 1[2] 332.

Quarum feriarum nomen non ex alicuius numinis fontium nomine, sed ex nomine fontis ipsius reducendum esse Deubnero[3] nemo contradicet.

Sed iam quaestio erit, cur illae coronae in fontes iactae sint? Hock[4] sententiam, quam Immerwahr[5] protulit, sequi videtur, qui hanc consuetudinem ritum consecrationis fuisse credit. Rectius autem Fowler[6] et Deubner[7] hunc morem

[1] Accedunt nonnulla veterum monumenta, quae ad aquarum cultum spectant. Ex exemplorum numero, quae Hock (l. c. 30) protulit, illum anulum Ionicum aureum commemoramus, in quo puer, qui duabus mulieribus orantibus antecedit, coronam e fonte tollens effictus est (Furtwängler *Gemmen* tab. VII 8).

[2] Wissowa *Rel. u. Kult. d. Römer*[2] 221.

[3] Deubner *Neue Jahrbb.* XXVII 1911, 329.

[4] Hock *Gr. Weihebr.* 30.

[5] Immerwahr *Arkad. Kulte* I Lpzg. 1891, 240.

[6] Fowler *Rom. fest.* 240.

[7] Deubner *Neue Jahrbb.* XXVII 1911, 329.

interpretati sunt, qui intellexerunt has coronas non sacrificia numini fluminis facta, sed actiones magicas aquarum ubertatis excitandae causa usitatas initio fuisse.

Eadem de causa Indi herbas in flumen iacere solebant[1]. Credebant enim homines superstitiosi, qui hanc artem magicam quae vocatur sympathicam[2] exercebant, omnia virentia eodem modo aqua abundatura esse, atque illa herba vel corona vel puella fronde ornata[3], quam in aquam immergebant, madebat.

Inde, quod illae puellae ad hanc actionem adhibitae instar victimarum coronabantur[4], fortasse etiam colligere possumus illis coronis in flumen iactis significasse veteres aliquando victimas coronatas ad flumen immolatas esse. Quod probari videtur illa caerimonia Pausania auctore (v. supra 43) Patris exercitata. Certo enim die quotannis pueri coronis spiceis ornati ad flumen se conferebant ibique lavabantur. Deinde coronis illis spiceis depositis ramis hederae se coronabant et ad templum Bacchi revertebantur.

Posteris temporibus fontes coronis ornabant veteres, ut sanctitatem illius loci indicarent. Qui mos cum cultu mortuorum cohaerebat, cum veteres locis, in quibus puteus vel

[1] v. Oldenberg *Rel. d. Veda* 507 sq. De caerimonia pluviae impetrandae causa a '*Moki*' gente acta, in qua corona cannea usitabatur, v. Preuß *Globus* LXXXVII 1905, 348.

[2] Cf. Nilsson *R. G. Volksb.* XIII/XIV 1911, 12.

[3] Liceat proferre, quod ex nostratium memoria tradidit Burchardius Wormat. decretorum lb. XIX cap. V (ed. Migne 974 sq.; vide etiam Friedberg *Aus deutschen Bußbüchern*, Halle 1868, 101): 'Fecisti, quod quaedam mulieres facere solent? Dum pluviam non habent, et ea indigent, tunc plures puellas congregant, et unam parvulam virginem quasi ducem sibi praeponunt, et eandem denudant, et extra villam ubi herbam jusquinanum inveniunt, quae Teutonice belisa vocatur, sic nudatam deducunt, et eandem herbam, eandem virginem sic nudam minimo digito dexterae manus eruere faciunt, et radicitus erutam cum ligamine aliquo ad minimum digitum dextri pedis ligare faciunt. Et singulae puellae singulas virgas in manibus habentes, supradictam virginem herbam post se trahentem in flumen proximum introducunt et cum eisdem virgis virginem flumine aspergunt, et sic suis incantationibus pluviam se habere sperant. Et post eandem virginem sic nudam transpositis et mutatis in modum cancri vestigiis, a flumine ad villam, inter manus reducunt?'

[4] Cf. supra 43.

fons erat, mortuos saepissime sepeliebant, ut Curtius[1] multis testimoniis demonstravit.

Adiungam, quod veteres coronarum vi saluberrima aegrotos sanari credebant. Plin. XX 152: 'Dignior e puleio corona Varroni quam e rosa cubiculis nostris pronuntiata est; nam et capitis dolores imposita dicitur levare, quin et olfactu capita tueri contra frigorum aestusque iniuriam'. Id. XXI 130: 'Crapulam et gravidines capitis impositis coronis olfactuque discutiunt'. V. etiam XXI 138; id. XXII 64: 'Loquitur scriptor antiquus de callistrichonis planta: 'capitis dolores corona ex his sedat'. Id. XXIV 82: 'Coronam ex ea (i. e. smilace) factam impari foliorum numero aiunt capitis doloribus mederi'. Id. XXIV 108: 'Corona ex ea (i. e. spina alba) inposita capitis dolores minuit'. Id. XXIV 176: 'Ex hac (i. e. philanthropon quae vocatur herba) corona inposita capitis dolores sedat'. Cf. etiam XXVII 93; XXVII 117; Seren. Sammon. 91 sq. (Baehrens p. l. m. III 111); Scrib. Larg. 271.

Inde, quod in his exemplis coronas variis ex plantis nexas capitis dolores minuere putabant veteres, concludere possumus eas propter cuiusvis plantae viridis vim refrigerantem usurpatas esse.

Ritu circumligandi daemon morbi vinciebatur, ut dolores desinerent, cf. Scheftelowitz l. c. 38 sqq.

Coronis etiam in incubatione usos esse veteres Ovidius docet, fast. IV 655 sq.: 'Bis caput intonsum fontana spargitur aqua | bis sua faginea tempora fronde tegit'[2]. Nostratium superstitione vera somnia videbit, si quis nocte St. Iohannis coronam ex novem floribus nexam sub capite posuerit[3]. Eodem die virgines Creticae nostrae aetatis ramos virides sub lecto ponere solent, ut nocte videant sponsum[4].

Vario autem modo in omen vertebant veteres, si quis per somnum se coronatum esse spectasset. Multa exempla in hac superstitione posita Artemidorus explicavit.

[1] Curtius *Griech. Quell- u. Brunneninschriften, Abhdl. Gött. Ges. d. W.* VIII 1858/59, 153 sqq., imprimis v. 174.

[2] Cf. Deubner, De incubatione 26; Fehrle *Kult. Keuschheit* 130.

[3] Wuttke l. c. 352.

[4] N. G. Politis *Μαγικαὶ τελεταὶ πρὸς πρόκλησιν ὀνείρων*, *Λαογραφία* III 1911, 18.

Plantas floribus viriditateque praeditas in omen faustum, plantas autem insolitarum formarum vel praemature florentes in omen infaustum accipere solent homines superstitiosi[1]. Artem. oneir. I 77: *Στέφανον ἀναδεδέσθαι πεποιημένον ἐξ ἀνθέων τὸ μὲν καθόλου καὶ κοινὸν τῶν κατὰ τὴν ὥραν ἀγαθόν, τῶν δὲ παρὰ τὴν ὥραν πονηρόν.* Cf. IV 57. Et caput quidem ornatum esse oportebat, id. IV 52: *Ὅσοι τῶν στεφάνων ἀγαθόν τι σημαίνουσιν, οὗτοι μὴ περὶ τῇ κεφαλῇ ὄντες ἀλλὰ περί τινι ἄλλῳ μέρει τοῦ σώματος πρὸς τῷ μηδὲν ἀγαθὸν σημαίνειν προσέτι καὶ κακοὶ γίνονται.* Multum valebat coronarum vis vinciens I 77: *Φοίνικος δὲ καὶ ἐλάας στέφανοι γάμους ἐλευθέρων ποιοῦσι γυναικῶν διὰ τὴν πλοκὴν καὶ τέκνα προαγορεύουσι πολυχρόνια διὰ τὸ ἀειθαλές.* Et paulo infra *ἀμπέλου δὲ καὶ κισσοῦ μόνοις τοῖς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίταις συμφέρει, τοῖς δὲ ἄλλοις δεσμὰ σημαίνει διὰ τοὺς ἕλικας καὶ τὰς προσπλοκὰς τοῦ κισσοῦ ἢ νόσον διὰ ταὐτά.* IV 5: *Ὅσα πέπλεκται, . . . καὶ ἁλύσεις πᾶσαι καὶ στέφανοι καὶ ὅσα ὅμοια πρὸς μὲν γάμους καὶ φιλίας καὶ κοινωνίας ἀγαθὰ διὰ τὴν συμπλοκήν, πρὸς δὲ ἀποδημίαν καὶ δρασμὸν καὶ φυγὴν ἐμπόδια διὰ τὰς δέσεις.* IV 28: *Ὁ δὲ στέφανος* (sc. ἐλάας) *ἐποίησεν αὐτὸν γῆμαι παρθένον διὰ τὴν δέσιν καὶ ὅτι ἐλάα παρθένου ἐστὶ θεᾶς.*

Coronae ex floribus rubris nexae significabant mortem[2]. Item plantae semper virentes propter earum usum in cultu mortuorum aegrotis quidem erant mortiferae. I 77: *Οἱ δὲ ἐκ τῶν ἴων γεγονότες κατὰ μὲν τὴν ὥραν ἀγαθοί, παρὰ δὲ τὴν ὥραν μοχθηροί· καὶ τούτων οἱ μὲν ἐκ τῶν λευκῶν ἴων φανερὰ τὰ δύσχρηστα καὶ ἐπίσημα σημαίνουσιν, οἱ δὲ ἐκ τῶν κροκέων ἀσημότερα, οἱ δὲ ἐκ τῶν πορφυρῶν καὶ θάνατον σημαίνουσιν· ἔχει γάρ τινα τὸ πορφυροῦν χρῶμα συμπάθειαν πρὸς τὸν θάνατον. Οἱ ἐκ τῶν ῥόδων κατὰ μὲν τὸν καιρὸν πᾶσιν ἀγαθοὶ πλὴν τῶν νοσούντων κτλ.*

Οἱ δὲ ἐκ τοῦ ἀμαράντου πᾶσιν ἀγαθοί, καὶ μάλιστα τοῖς δικαζομένοις, ἐπεὶ μέχρι παντὸς ὁ ἀμάραντος διὰ τὸ ὄνομα καὶ

---

[1] Eadem superstitio apud Indos viget, cf. Julius von Negelein *RGVV* XI 4, 1912; I 133; II 59.

[2] Eandem notionem habent coronae rubrae apud Indos. Cf. Zachariae *Wiener Zeitschr. f. K. d. M.* XVII 1903, 212; Negelein II 49, 62, 69.

τὸ χρῶμα διαφυλάττει. Νοσοῦσι δὲ οὗτοι κακοί· ἢ γὰρ τοῖς νεκροῖς ἢ θεοῖς ἀνατίθενται, σπάνιον δὲ ἀθρώποις.

Στέφανοι κήρινοι πᾶσι κακοί, μάλιστα δὲ νοσοῦσιν, ἐπεὶ καὶ τὸν θάνατον κῆρα καλοῦσιν οἱ ποιηταί.

Multa alia exempla exstant. Sed satis est haec enumerasse; cf. etiam I 77; II 3; 5; 49; V 78; 95.

Coronas ad actiones magicas adhibitas esse, cum essent vincula, quibus daemones in potestatem suam redigebant veteres, supra (21 sq.) nonnullis exemplis probavimus. Sed ex foliorum ramorumque variorum in exercitationibus magicis usu facile elucet illas coronas saepius φυλακτήρια fuisse, quibus cavebant ii, qui numen aliquod excitabant, 'ne a deo apparente, quem ut χθόνιον sanguinis avidum putabant, sive a daemone maligno dei speciem induente interficerentur'[1].

Exemplis[2] (supra 21 sq.) prolatis addo: In papyro Parisina (ed. Wessely *Denkschr. d. Wiener Akad.* XXXVI 1888) v. 172 sq. magum semet ipsum ramis hederaceis coronare praescriptum videmus: Σὺ δὲ αὐτὸς στεψάμενος κισσῷ μέλανι.

Similiter in exercitatione fascinationis (v. 856 sqq.) invenimus: v. 913 sq.: Χρὴ δὲ στεφανῶσαι [αὐτὸν] στεφάνῳ ἀρτεμισίας χλωρικῆς αὐτόν τε καὶ σέ.

Magni interest, quomodo incantationem sole supremo fecerint veteres, cf. v. 930 sqq. Primo magus sic se ornare iubetur v. 934 sq.: Κούκινα ὑποδεδεμένος καὶ ἐστεμμένος τὴν κεφαλήν σου κλῶσι ἐλαίας. Deinde invocatio fit. Sequitur v. 1057 sq.: Ἀπόλυσις: Καμμύσας ἀπόλυσον τὴν ψῆφον, ἣν κρατεῖς καὶ βαστάξας τὸ στεφάνιον ἀπὸ τῆς κεφαλῆς κτλ.

Poculum, quod carminibus ritibusque magicis fascinatur, coronari oportet v. 1994: Καὶ στεφανώσας ἐπίλεγε τὰ αὐτὰ ὀνόματα.

Coronae vi vincienti numen excitatum teneri ex v. 2050 sq. colligere possumus: Καὶ ἐπιστεφάνου αὐτὸν τῷ κισσῷ μέλανι καὶ πάντως σοι παραστaθήσεται διὰ νυκτὸς δι' ὀνείρων[3] καὶ δεδήσεταί σου λέγων ὃ θέλεις.

---

[1] Kroll, Analecta Graeca, Gryph. 1901, 13.

[2] Omnia fere exempla accurate collegit Deubner, De incubatione 26.

[3] Cf. supra 85.

Ναϊσκάριον ἀρκεύθινον ipsum, quo in sacello imago cerea ponitur, corona oleaginea ornari necesse est v. 3153 sq. *στεφάνου δὲ τὸ ναϊσκάριον ἐλαίῳ* (sc. *στεφάνῳ*). Quod perbene illustratur papyro Berolinensi I (ed. Parthey *Abh. Berl. Ak.* 1865) v. 21 sqq.: *Λαβὼν τὸν ἱέρακα ἀνάθου ἐν ναῷ ἀρκευθίνῳ, καὶ στεφαν[ώσ]ας αὐτὸν τὸν ναὸν ποίησον παράθεσιν.*

In illa actione magica, quam magus tribus fistulis exercet, coronam oleagineam gestat magus ipse: pap. Par. v. 3198: *Ἐστέφθω δὲ ἡ κεφάλη τοῦ πράττοντος ἐλαΐνοις* (sc. *κλάδοις*). Oleagineis[1] ramis saepius in arte magica utebantur veteres, velut in pap. Anast. (= pap. XLVI Mus. Brit. ed. Wessely l. l. 179 sq.) v. 38 sq. quaeritur: *Σὺ ἐρώτα τί ἐστεφανωμένοι εἰσὶ καὶ τί προάγει τοῦ θρόνου, ἐὰν λέγῃ ἐλαίας ἐστεφανωμένοι εἰσίν κτλ.*

Longum est enumerare omnia reliqua[2] exempla, sed hoc unum afferam, quo docemur illos ramos et coronas ad actiones magicas adhibitas fuisse et propter vim earum apotropaeam et propter vim vincientem. Pap. Berol. I v. 280 sq. haec habet: *Τὸ φυλακτήριον ἐν τῇ δεξιᾷ τουτέστιν τὸ(ν) κλῶνα τῆς δάφνης.* Ut autem numen dimittatur, haec praescripta videmus: v. 335 ssq.: *Ἀπολῦσαι αὐτὸν τὸν θεόν, τὴν προειρημένην ἑ[β]εννίνην ῥάβδον, ἣν ἔχεις χειρὶ ἐν τῇ λαιᾷ, μετένεγκον εἰς τὴν δεξιάν, καὶ τὸν κλῶνα τῆς δάφνης, ὃν ἔχεις ἐν τῇ δεξιᾷ χειρί, μετένεγκον εἰς τὴν ἀριστεράν.*

---

[1] De ramorum oleagineorum usu in actionibus magicis apud Graecos nostrae aetatis v. N. G. Politis *Λαογραφία* III 1911, 352 sq.

[2] Cf. hymnum in Apollinem v. 1 sqq. (Wessely l. c. 33) = Pap. XLVII Mus. Brit. (Anastasi 5) vv. 6 sqq.; 40 sqq. (Wessely l. c. 149); v. etiam Wessely *N. Gr. Z. P.* (*Wiener Ak.* 1893) 3, 14, 47 v. 806 sq.; 49 v. 869. 871; 50 v. 910 sq.; Deubner, De incub. 26; Kroll, Analecta gr. 13; Ogle *Am. Journ.* XXXI 306.

Caput III

De coronarum historia

Homerus coronarum usus, nisi illud sacerdotis *στέμμα*[1] (Il. I 14) vel illa folia *οὐλοχύτων*[2] instar usitata (Od. XII 357) ad coronarum usum spectare contendimus, nusquam mentionem facit. Itaque haud recte Schleiden[3] se unum coronarum usus exemplum ex Homero afferre putat, qui *στεφάνας* illas, quibus virgines in scuto Achillis (Il. XVIII 597) fictae ornatae sunt, coronas esse existimat. Quas *στεφάνας* fibulas esse supra (5) ostendimus.

Inde, quod Homerum coronandi morem cognovisse pro certo non scimus, Wilamowitz[4] et Rohde[5] collegerunt coronandi morem initio sexti saeculi ortum esse. Sed iam antiquioris aetatis testimonia examinemus.

Ramorum enim sacrorum usum, qui cum coronandi more coniunctus est et ab eo vix discerni potest, iam in monumentis Mycenensis quae vocantur aetatis invenimus[6]. Optime usum ramorum foliorumque in rebus sacris agnosces in illis anulis aureis Mycenensibus. Mulieres plerumque in eis fictae sunt, quae capite atque manibus flores papaveris gestantes ad aram ramis sacris ornatam vel ad deam ante arborem se-

---

[1] Cf. supra 8. [2] V. supra 32.

[3] Schleiden *Die Rose*, Lpzg. 1873, 38.

[4] Wilamowitz ad Eurip. Heracl. v. 677.

[5] Rohde *Ps.* I[5] 220.

[6] De arborum cultu aetatis Mycenensis fusius egit Evans *Journ. Hell. Stud.* XXI 1901, 100 sqq.

dentem accedunt[1]. Similem imaginem in gemma Cretica[2] invenimus.

Interdum in his monumentis vix discerni potest, utrum flos an corona floribus nexa capitis ornamentum sit[3].

Octavo saeculo a. Chr. n. usum coronarum iam viguisse etiam docemur cratere[4] Thebis invento, in quo virum ante navem armatis instructam mulierem altera manu post se trahentem depictum videmus, quae mulier altera manu coronam tenet. Coronam perfectam etiam in prisco illo monumento sepulcrali Spartano videmus, in quo Dioscurorum[5] imago incisa est. Quo in monumento iuvenis, qui in sinistra parte conservata constitit, coronam in manu dextera habet.

Vetustissimae artis figlinae Atticae testimonium est vas Tanagrae[6] inventum, in quo victor certaminis coronam accipiens fictus est. Eiusdem fere aetatis esse videtur vas Argis[7] effossum, in quo chorus chorago coronam dono dat. In vase Cyrenaico[8] Victoriam duas coronas tenentem et ad equitem advolantem depictam conspicimus. Deinde monumenta antiquioris aetatis sunt illae amphorae Tyrrhenae. Notissimum esse videtur illud vas, quod nobis certamen de Troili, Priami filii, necati corpore initum ante oculos ponit[9]. Post Achillem

---

[1] Cf. Tsountas *Mykenae* tab. V 3; Perrot et Chipiez *Histoire de l'art dans l'antiquité* VI tab. 428, 23; Reichel *Vorhell. Götterkulte* 3; Furtwängler *Gemmen* tab. II 19, 20, 21; VI 2, 3 cf. vol. III 44 fig. 21; Lichtenberg *Ägäische Kultur* fig. 49. 50; cf. Evans l. c. passim.

[2] V. Reichel *Vorhellen. Götterk.* 11; Furtwängler *Gemmen* III fig. 22; Lichtenberg l. c. fig. 51.

[3] V. Perrot et Chipiez l. c. VI 841 fig. 425; cf. etiam 815 fig. 384 = *Ephem. arch.* VIII 1888, 3; alia exempla collegit Hock l. c. 9. 11.

[4] V. *Journ. Hell. Stud.* XIX 1899, 198 sqq. tab. VIII = Lamer *Gr. Kult. im Bilde* tab. 131; cf. Poulsen *Dipylongr.* 125.

[5] *Athen. Mitt.* 1883, 371 sq. tab. XVIII 2; cf. etiam *Athen. Mitt.* 1893 tab. IV 3.

[6] Schneider *S.-Ber. d. Sächs. Ges.* 1893, 87 tab. III; similem imaginem paulo recentioris aetatis praebet amphora Tanagrae inventa, quae Berolini conservatur, v. Furtwängler *Beschr. d. Vasensammlung d. Kgl. Museums* nr. 3988.

[7] Furtwängler *La collection Saburoff* tab. LI.

[8] *Arch. Zeitg.* 1881, 234 fig. XIII 2; Studniczka *Kyrene* 24.

[9] Overbeck *Gallerie heroischer Bildwerke*, Braunschweig 1853, tab. XV 3; Thiersch *Tyrrhenische Amphoren* tab. I.

cum Hectore dimicantem Athenam[1] coronam manu tenentem depictam videmus. Cuius imaginis simillima est alterius vasis pictura[2], quae proelium de Patrocli corpore commissum ostendere videtur. In eiusmodi generis vase[3] Polyxena quoque coronata conspicitur, cum eam immolent. Coronis etiam domus nuptialis[4] redimita est, ad quam sponsi vehuntur, quos amici ramum et pateram tenentes sequuntur. Coronas denique in illis picturis Tyrrhenis[5] videmus, quae satyrorum pompam nobis ante oculos ponunt.

Omnibus his artis testimoniis coronarum usum iam ante saeculum sextum a. Chr. n. notum fuisse docemur.

Verisimile est ad summam antiquitatem etiam spectare illas coronas plumbeas, quae Spartis[6] et Amyclis[7] inventae sunt. Quibuscum facile comparemus coronas illas plumbeas ex reliquiis Dianae templi Limnatidis ad Kombothekram[8] in lucem proditas. Quas coronas votivas[9] coronarum instar frondearum deis mortuisque oblatas esse putamus.

Sed praeter monumenta unum testimonium ex litteris quidem prolatum exstat, quo Graecos coronas iam medio saeculo octavo usitatas esse discimus. Quanta auctoritas coronarum oleaginearum, quibus Olympiae victores coronabantur fuerit, omnes scimus. Ante coronam oleagineam malum tantum erat certaminis praemium, quo etiam postea in illo ritu *φυλλοβολίας* utebantur veteres.

De coronae illius oleagineae historia, quae Pausania[10] auctore ab Hercule instituta est, Phlegon Trallensis, Pausaniae aequalis, in fine fragmenti libri primi historiarum (F. H. G.

---

[1] Athena hanc coronam item in illa pictura tenet, quae Achillem Troilo insidiantem exhibet. Overbeck l. c. tab. XV 2; cf. Schneider *Der trojan. Sagenkreis in d. ältesten griech. Kunst*, Lpzg. 1886, 36 sq.

[2] Thiersch l. c. tab. VI.

[3] *Journ. Hell. Stud.* XVIII 1898 tab. XV.

[4] Thiersch l. c. tab. V; similem picturam quinti quidem saeculi invenies apud Furtwängler *Coll. Sabour.* LVIII.

[5] *Journ. Hell. Stud.* XVIII 238 fig. 2; Holwerda *Arch. Jahrb.* V 1890, 244; Thiersch l. c. 41 sq.

[6] *Revue archéol.* 1897 tab. II nr. 30—36.

[7] *Ephem. arch.* 1892, 12. [8] *Athen. Mitt.* 1908, 325.

[9] V. Hock l. c. 9; Thiersch l. c. 134. [10] Pausanias V 7, 7.

III 604) refert: *Καὶ ἐστέφετο μὲν οὐδεὶς ἐπὶ πέντε Ὀλυμπιάδας, τῇ δὲ ἕκτῃ ἔδοξεν αὐτοῖς μαντεύσασθαι, εἰ στέμματα περιθῶσι τοῖς νικῶσι, καὶ πέμπουσι τὸν βασιλέα Ἴφιτον εἰς Θεοῦ. Ὁ δὲ θεὸς ἔφη τάδε Ἴφιτε μήλειον καρπὸν μὴ θεῇς ἐπὶ νίκῃ. Ἀλλὰ τὸν ἄγριον ἀμφιτίθει καρπώδη ἔλαιον, ὃς νῦν ἀμφέχεται λεπτοῖσιν ὑφάσμασ' ἀράχνης'. Παραγενόμενος οὖν εἰς τὴν Ὀλυμπίαν πολλῶν ἐν τῷ τεμένει κοτίνων ὄντων εὑρὼν ἕνα περιερχόμενον ἀραχνίοις περιῳκοδόμησεν αὐτόν, καὶ τοῖς νικῶσιν ἐκ τούτου ἐδόδη ὁ στέφανος. Πρῶτος δὲ ἐστεφανώθη Δαϊκλῆς Μεσσήνιος· τῇ ἑβδόμῃ Ολυμπιάδι στάδιον ἐνίκα*[1].

Temporibus Homero posterioribus coronandi mos magis magisque diffundebatur.

Ac primum quidem illarum coronarum mentionem facimus, quae Pergami ex tumulo et secundo et tertio effossae sunt[2]. Quibus in tumulis reliquiae coronarum circiter quinque myrtearum vilioris materiae inventae sunt[3]. Etiamsi hae simplices coronae myrteae ipsae testimonia antiquioris aetatis quam Homeri esse possunt, tamen aurea corona quercea[4], quam mortuus capite gestabat, summae artis est exemplum. Quae corona aurea Victoriae statua ornata est[5], cuius in manibus altera corona laurea vel oleaginea est. De huius coronae arte exhibet Jacobsthal: *Der Kranz ist im Gesamteindruck von einer schlichten Natürlichkeit, die dem κατατηξίτεχνον*

---

[1] Daïdem septima Olympiade vicisse narrat etiam Dionys. Halicarn. I 71; cf. Weniger *Der heilige Ölbaum in Olympia*, Prgr. Weimar 1895, 2 sq. De Olympiadibus metiundis v. Körte *Herm.* XXXIX 1904, 224 sqq.; Robert *Herm.* XXXV 1900, 147 sqq.

[2] Jacobsthal *Athen. Mitt.* XXXIII 1908, 490.

[3] *Athen. Mitt.* XXXIII tab. XXVI 2.

[4] *Athen. Mitt.* tab. XXV 1.

[5] Quae ornamenta *προμετωπίδια* vel frontalia vocabantur (Stephani *Compte-rendu* 1865, 166; 1875, 17 sqq.). Quibus in frontalibus varias res artifices finxerunt. Partim Gorgonea aliaque remedia apotropaea ficta videmus (*Compt.-rend.* 1875, 19 sq.), partim deorum dearumque imagines (comp. fig. apud Daremberg-Saglio s. v. 'corona' insertas). Quantam ad luxuriam hic mos ornamentorum in corona illigandorum progressus sit, Suetonius (Domit. 4) docet: 'Certamini praesedit (sc. Domitianus) crepidatus purpureaque amictus toga Graecanica, capite gestans coronam auream cum effigie Iovis ac Iunonis Minervaeque; adsidentibus Diali sacerdote et collegio Flavialium pari habitu, nisi quod illorum coronis inerat et ipsius imago'.

des berühmten kostbaren Kranzes des Kreithonios von Armento[1] *künstlerisch überlegen ist.* Nummis in eisdem tumulis inventis illas coronas ad quintum saeculum spectare comprobatur.

Ex eisdem tumulis etiam circuli i. e. septem caules frondeae vel floridae in imaginem orbis reductae, quas Jacobsthal (l. c. 432) '*Trauerreifen*' vocat, elatae sunt. Quorum circulorum usum ad coronandi quoque morem spectare facile intellegimus.

Primum coronandi moris exemplum ex litteris quidem captum carminis epici fragmentum 2, quod *Ἀλκμαιωνίς* vocatur, praebet[2]. Ex poetarum deinde lyricorum Graecorum, qui sexto vel quinto saeculo a. Chr. n. floruerunt, fragmentis permulta exempla colligere possumus, quibus docemur, quanta coronarum auctoritas eorum aetate fuerit[3]. Coronarum usus a Graecis una cum multis aliis moribus institutionibusque Romam translatus est. Quod pristinae Romanorum memoriae aetate factum esse videtur, ut iam leges duodecim tabularum in coronarum usum luxuriosum invectae sunt[4].

Omitto disputare de hominibus, qui apud veteres ex coronas nectendo quaestum sibi faciebant magnum[5]. Quanta auctoritate hi coronarii coronariaeque usi sint, docet illa fabula certaminis 'artis ac naturae', quod inibant Glycera coronaria Sicyonensis et Pausanias pictor. V. Plin. n. h. XXI 4; XXXV 125.

De coronarum apud veteres sumptibus fusius egerunt Hesseling l. c. 66 sq. atque Schmitthenner l. c. passim.

Restat, ut brevi commemorem, qualis fuerit coronarum usus in religione Christiana.

Scriptores, quos patres ecclesiasticos vocamus, vehementer in coronarum usum invectos esse saepius vidimus[6]. Corona

---

[1] Daremberg-Saglio I 2, 800 fig. 971; cf. *Führer durch d. Kgl. Antiquarium in München* nr. 642. [2] V. supra 48.

[3] Cf. Anthol. lyric. (ed. Hiller-Crusius) Archiloch. frg. 21—23; Xenophan. frg. 1. 2. 11; Hippon. frg. 63; Sapph. frg. 77; Stesichor. frg. 10; Anacreont. frg. 30; 44; 55; 79; 99; Simonid. 6; 36; 130; 135; Philoxen. frg. 1; vide etiam fragg. melica adespota 34; 54; 80 (10); Anacreontea 5; 7; 17; 18; 40—42; 46, 5; 48, 13; 53, 1. [4] V. supra 51.

[5] Cf. Daremberg-Saglio I 2, 1537 sq. s. v. 'coronarius'; Mau *P. W.* IV 2, 1643 sq. s. v. 'coronarii'. [6] V. supra 52 sq.; 68.

signum idolatriae putabatur, qua veteres et statuas deorum et semet ipsos diebus festis ornare solebant[1]. Tertull. de cor. mil. 13: 'A saeculo coronantur et lupanaria et latrinae et carcer et ludus et ipsa spoliaria ipsaeque libitinae'. Clem. Alexandrinus saepe Christianis veniam dat, si in aliqua re peccaverint, sed coronas gestari vetat[2]. Cyprianus de laps. 2 p. 238, 6 [Hartel] dicit: 'Frons cum signo dei pura diaboli coronam ferre non potuit'.

Operae pretium esse videtur monere de fabula ad coronandi morem pertinente, quam narrat Tertullianus initio libelli de corona militis conscripti (c. I p. 415, 3—417, 8)[3]. Septimio Severo in Britannia mortuo (pridie Nonas Febr. CCXI), postquam finis persecutionum Christianorum facta est, penes Antonium Getamque, filios eius, imperium erat. Qui in caput reversi magnam liberalitatem dederunt, quae cum in provinciis tum in Numidia expendebatur. In castra, ut refert Tertullianus, milites laureati convenerunt, ut partem liberalitatis acciperent. Quod fecerunt, quamquam apud Christianos coronatio idolatria esse existimabatur, milites Christiani omnes uno excepto, qui coronam non in capite gestabat, sed manu tenebat et eo se Christianum praestabat. Conspicitur et in vincula conicitur. Res defertur ad magistratus, qui Christianos ex Africa depelli iubent.

Attamen frustra illi scriptores ecclesiastici coronarum usum damnaverunt. Hic mos iam penitus religioni Christianorum insitus erat. Ac primum quidem beatos coronam gestare putabant Christiani, quam vocabant coronam vitae[4]. Joh. Apocalyps. II 10: *Γίνου πιστὸς ἄχρι θανάτου, καὶ δώσω σοι τὸν στέφανον τῆς ζωῆς.* Jacob. ep. I 12: *Μακάριος ἀνὴρ*

[1] Omnia fere exempla collegerunt K. J. Neumann *Der röm. Staat u. die allgemeine Kirche*, Leipzig 1890 I 14 sq.; Achelis *Das Christentum in den ersten 3 Jahrhunderten*, Lpzg. 1912 II 104; cf. etiam Dippel, Wetzer u. Weltes *Kirchenlex.* II 1215 s. v. '*Brautkranz*'.

[2] Clem. Alex. paed. II 8, 72 p. 201 Staehlin.

[3] V. etiam Neumann l. c. I 183.

[4] V. Weicker *Seelenvogel* 16, 3. Quacum coronae significatione facile compares W. Pleyte *La couronne de la justification, Actes du Congrès intern. des Oriental.* VI 1883, 1 sqq. et Laum *Der Totenkranz, Kölnische Volksztg.* 1910 nr. 915.

ὃς ὑπομένει πειρασμόν, ὅτι δόκιμος γενόμενος λήμψεται τὸν στέφανον τῆς ζωῆς, ὃν ἐπηγγείλατο τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. Petr. ep. I 5, 4: Καὶ φανερωθέντος τοῦ ἀρχιποίμενος κομιεῖσθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον.

Deinde coronae usitatae erant in mysteriorum Gnosticorum ritibus[1]. In libro altero, qui 'Ieû'[2] inscribitur, de illorum mysteriorum caerimoniis haec fere scripta videmus: 'Iesus omnes sectatores linteis vestibus indutos esse iubet et eos herbis quibusdam in eorum os immissis et in manus impositis ante sacrum collocat. Deinde praeter alias caerimonias discipuli ramis oleagineis coronantur'[3]. Quibuscum ritibus Anrich recte praecepta papyrorum magicarum comparavit[4].

Cum hoc coronarum usu cognata est coronatio ad baptisma Christianorum adhibita.

In ordine baptismatis[5] et Coptitarum et Aethiopum capiti baptizati corona imponebatur, quae apud hanc gentem ex myrto et palma nexa erat. Similiter etiam baptizatos cingulis praecingebant illi Christiani, quae item ac coronae octavo die inter ovationes sacerdotis solvebantur. Facile igitur intellegitur et coronationem et praecinctionem ritum consecrationis fuisse. Cingulis enim illis sacris se deo devovisse indicabant veteres Christiani.

Coronarum nuptialium auctoritatem, quarum historiam supra (68 sq.) fusius tractavimus, nostrae aetatis omnes cognoscimus. Primum ad sponsae coronam maiores nostri, qui eam consuetudinem media quae vocatur aetate a Romanis acceperunt, roris marini plantam adhibebant, millesimo nongentesimo autem saeculo corona myrtea praevalebat.

Mentione denique dignum esse videtur monere id, quod hodie quoque[6] puellae, quae in ecclesia catholica primo sa-

---

[1] V. Anrich *Mysterienwesen* 102 sqq.

[2] C. Schmidt *Gnost. Schriften in kopt. Sprache, Texte u. Untersuchungen* VIII 1—2, 1893; id. vernacula lingua scripsit *Koptisch-gnostische Schriften*, Lpzg. 1905 I.

[3] Schmidt *Kopt.-gnost. Schriften* I 308 sq.

[4] Anrich *Mysterienwesen* 103; de Jong *Mysterienwesen* 180 sq.

[5] Denzinger, Ritus orient. I 38; 210; 221; 231; 288; 315.

[6] Velut in nostrae patriae provinciis Guestphaliae Rhenaniaeque.

cramentum communionis accipiunt, coronam floream saepissime myrteam gestant. Quarum puellarum, quae flammeolo etiam sponsarum instar ornantur, coronam initio signum consecrationis hodie testimonium tantum castitatis esse facile creditur.

Mortuos[1] ipsos nostra aetate non coronamus, nisi parvulos et sponsas mortuas rore marino vel myrto ornamus[2]. Coronatio autem tumuli auctoritate est maxima.

---

[1] De Christianorum more coronandi mortuos v. Casali, De veteribus sacris Christianorum ritibus, Hannover 1681 II 335.

[2] Cf. Sartori *Hdb. z. Volksk.* V 137; Lawson *Moderne Greek Folklore and ancient Greek Religion*, Cambridge 1910, 558.

Index rerum et nominum notabilium

aegroti 85 sq.
Aeneas 25
agnus castus 30; 66
agones 69 sq.
amuletum 21; 26; 62
anulus 20; 69
apium 50
ara 11 sq.; 33 sq.
arca 58
Ariadna 24
arvalia 13; 40; 46; 79

caerimoniae funebres 18; 48 sqq.
— nuptiales 61 sqq.
captivus 16; 44 sq.
Christiani 52 sq.; 54; 68 sq.; 93 sqq.
circumgrediendi ritus 13 sqq.; 64
circumligandi ritus 9 sq.; 13
clipeus 10
comburendi ritus 57
convivium 45 sqq.
corona impedit 18; 54
— vincit 4 sqq.; 14 sqq.; 87
coronae amatoriae 19 sq.
— mortuorum 48 sqq.
— sponsorum 61 sqq.
coronam deponere 19
cultus aquarum 83 sqq.
— arborum 25

domus 12; 35; 58; 64 sq.; 77; 91

equus October 79

faces 57; 64 sq.
Fetischismus 60
filum 9
frons 23 sqq.; 26; 42; 65
fructus 55

galea 5; 10
γάμος ἱερός 66
Gorgo 21; 53
gravida mulier 75, 2

hedera 18; 36, 3
ἱκετηρία 16 sq.
hostia 42 sq.; 84

incubatio 85
Iuno 23; 46; 66 sq.

κορυθάλη 65
Kranz 7

Laubumhüllung 23
laurus 31; 35, 2; 36, 3; 49; 65; 72
lectus nuptialis 65
lustratio 29 sq.
λύγος 23; 30

magici ritus 21 sq.; 87 sq.
Maienstecken 21
manes 29; 70
mortuus 18 sq.; 48 sq.; 86
Mycenae 89
myrtus 32, 1; 41; 50; 67; 95 sq.
mysteria 9 sq.; 41 sq.; 56; 95

natalis dies 77 sq.
naves 82 sq.

oliva 17; 31; 49; 50; 64; 74; 76; 87 sqq.; 91

origanum 52
Orphici 8; 56
ovatio 32

Palilia 78
palma 53 sq.; 95
pampinus 50
περισχοινίζειν 9 sq.
περισχοίνισμα 9
φυλακτήρια 87 sq.
φυλλοβολλία 63; 71; 91
pisces 82
placenta 66
planta 27 sq.; 40; 49; 51; 75
praemia virtutis 74

ramus aureus 25
— viridis 26
res sacrae 33
— superstitiosae 75 sq.
Richtmai 36
ros marinus 64; 96
ruboris vis 10, 6; 50; 53; 64; 86

sacerdos 40 sq.
sacrificare 38 sq.
saepimentum 9
salix 51 sq.
scopa 78
sepulcrum 36; 59
servus 43 sq.
signa deorum 12; 37
spicea corona 26; 80; 84
spicei fasces 29
στέμμα 7
στεφάνου vocis significatio 4 sq.
στεφανωτικόν 60
stratum frondeum 23 sq.; 49 sqq.
strena 26
supplicatio 16 sqq.

tabu 55
taeda v. faces
ταινία 8
templum 11; 35; 36 sq.
terminus 12
tibia 64
transvectio 73 sq.
triumphus 31 sq.; 72 sq.
tumulus 59
Tyrrheni 90 sq.

urna 58

vasa 45
venator 80 sq.
Venus 67
verbenae 34; 35; 62
victima v. hostia
victor 69 sqq.
viscum 25

Wünschelrute 25

xoanon 23; 66